


MONUMENTA
MATTHAEIANA

MONUMENTA
MATTHAEIANA



Vinc. Brenna del. *Joan. Cassini sculp.*

INDEX TABULARUM

Quae in hoc III. Anaglyphorum, Sarcophagorum, & Inscriptionum Volumine continentur.

CLASSIS I.
Quae continet
DEORUM IMAGINES.

CLASSIS II.
Quae continet
FABULAS AD DEOS PERTINENTES.

CLASSIS III.
Quae continet
BACCHANALIA.

CLASSIS IV.
Quae continet
MONUMENTA AEGYPTIACA.

CLASSIS V.
Quae continet
MONUMENTA GRAECA ANTE BELLUM TROIANUM.

CLASSIS VI.

Quae continet

MONUMENTA GRAECA POST BELLUM TROIANUM.

CLASSIS VII.

Quae continet

MONUMENTA ROMANA HISTORICA.

CLASSIS VIII.

Quae continet

RITUS, MORES, ET ARTES VETERUM.

CLASSIS IX.

Quae continet

SARCOPHAGOS, ET URNAS SEPULCRALES.

CLASSIS X.

Quae continet

VETERES INSCRIPTIONES.

Sequuntur Sectiones Classis X.

ERRATA	CORRIGE:
pag. 23. ipsis partam.	ab ipsis partam.
pag. 25. simil.	simul.
pag. 32. Imeriensem.	Himeriensem.
pag. 48. quos edidit.	quae edidit.
pag. 56 Barnierianam.	Banierianam.
pag. 76. *in pleta*.	*in pelta*.
pag. 87. not. I. *nel sito*.	*nel sito della casa*.
pag. 99. AMPLATVS.	AMPLIATVS.
pag. 112. sub n. 6. adde;	TAB. LVII. FIG. II.
ibid. AGARIAE.	AGRIAE.
ibid. Seviri.	Sexviri.
pag. 115. *Collegium Lacrimantium*.	*Collegio Lacrimantium*.
pag. 117. FIG. IV.	FIG. VI.
pag. 133. sub n. 21. adde:	TAB. LXI. FIG. IV.
pag. 139. iuveniale.	iuvenile.
pag. 142. n. 26. pag. 135., &	*dele*.
pag. 152. NVMISTAE.	NVMISIAE.
ibid. renliquenti.	relinquenti.

IM

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. A. Episcopus Montis Alti, ac Vicesgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.



ANAGLYPHORUM

CLASSIS I.

QUAE CONTINET

DEORUM IMAGINES.



TAB. I.

FIG. I.

MITHRA.



Mithra, ſive Sole, a Perſis venerato, huius Voluminis initium ducimus. Exprimitur is Iuvenis figura, qui, expanſa in auras chlamyde, ſuccinctus breviori veſte, recurva tiara, ſeu mitra Perſica, aut etiam pileo Phrygio ornatus, Tauri in terram procumbentis tergum premit ſiniſtro genu, altero pede ad caudam inclinato. Siniſtra manu Tauri narices tenet, dextera cultrum, cuius manubrium ſolum apparet, & cuius vagina ad latus appenſa cernitur, in Tauri guttur prope dexteram aurem immittit. Ad ſcapulam Tauri antrorſum adſilit Canis globulo innixus poſterioribus pedibus, & ſerpens retrorſum. Ad antri, ſeu ſpelaei, ſub quo

quo adſtat Mithra, latus utrumque adſtant Pueri tunicati, & recurva mitella ornati, quorum unus, qui dextera parte eſt, accenſam facem gerit, alter, qui ſiniſtra, extinctam habet, quamquam nonnullae vetuſtatis iniuriae hoc loco conſpicuae ſint. Geminae arbores ad antri ingreſſum ſurgunt ſuperne, & Corvus tandem ad dexterae arboris radices iacet. Haec eſt Matthaeiani Mithriaci Anaglyphi, cuius etiam meminit Philippus a Turre Adriae Epiſcopus eruditiſſimus (1), accurrata deſcriptio. Reſtat interpretatio, quam paucis abſolvemus illud praemittentes, Mithram eumdem, ac Solem, teſte Heſychio, Suida, Strabone (2), aliiſque, Perſis exſtitiſſe, qui leonis vultu ipſum coluerunt, Romanis dein, qui extera ſacra in ſuam religionem invexerunt, humanam effigiem ſubſtituentibus. Singula haec ſymbola, ſi laudatum Praeſulem a Turre audiamus, qui hanc provinciam egregie tractavit (3), ad rerum generationem, & conſervationem, quae Mithrae Solis vi, & poteſtate perficitur, referri debent. Horum rationem aliqua ex parte attigit Lactantius, aliis Luctatius, vetus Statii interpres, elapſo ſaeculo ex Franciſci Pithoei Bibliotheca editus. *Perſae* (inquit) *in ſpelaeis coli Solem primi inveniſſe dicuntur. Et hic Sol proprio nomine vocatur Mithra, quique eclypſim patitur, ideoque intra antrum colitur. Eſt enim in ſpelaeo Perſico habitu, leonis vultu cum tiara, utriſque manibus bovis cornua comprimens, quae interpretatio ad Lunam dicitur. Nam indignata ſequi fratrem occurrit illi, & lumen ſubtexit. Sol enim Lunam minorem potentia ſua & humiliorem docens taurum inſidens cornibus torquet, quibus dictis Statius Lunam bicornem intelligi voluit.* Quare Mithra Taurum gladio transfodiens eſt vis Solis, & potentia radiorum ſubiectum generationis penetrans, & veluti inflicto vulnere pervadens. Sanguis, qui in aliquibus Monumentis ſcaturiens ex vulnere cernitur, ſive Νᾶμα σεβήσιον, *liquor venerabilis* (ut epigraphem NAMA SEBESIO, olim Capitolino, nunc Burgheſiano Anaglypho prope ſanguinem manantem inſculptam, ac multifariam ab Antiquariis expoſitam interpretandam Cl. Maffeius (4) contendit) ſemen genitale ad rerum omnium procreationem, & alimentum ſignificat, ex quo & Canis, & Taurus, Corvus, & animantia omnia,

(1) *Monumenta veteris Antii, hoc eſt Inſcriptio M. Aquilii, & Tabula Solis Mithrae variis figuris, & ſymbolis exſculpta &c. Cap. I. pag.* 159. *edit. Roman.* 1700.

(2) *Geograph. Lib. XV.*

(3) *Loc. cit. Cap. III. pag.* 180., *& ſeqq.*

(4) *Saggi di Diſſertazioni Accademiche pubblicamente lette nella nobile Accademia Etruſca dell'antichiſſima Città di Cortona Tom. III. Diſſert. V. del Marcheſe Scipione Maffei ſopra le parole* NAMA SEBESIO, *che ſi trovano in una antica Iſcrizione*, *pag.* 141.

omnia, tum etiam arbores heic expressae nutritionem hauriunt, & educunt. Tum etiam Canis generationis principium apud Aegyptios fuit, atque insuper cultus [1]. Serpens ad Solis naturam referebatur [2]. Tandem Corvus Mithrae peculiari religione sacer erat [3]. Desideratur heic Scorpius, sive Cancer, in aliis Monumentis obvii, testes Tauri chelis apprehendentes, de quorum significatione consulendus laudatus e Turre [4]. Ob Mithrae chlamydem expansam Tauri cauda in spicas desinens occultatur, quae alibi conspicua est, quaeque frugum, ac plantarum generationem, & vegetationem Mithrae, seu Soli tribuendam esse innuit. Pueri facem gestantes, accensam unus, extinctam alter, diem, & noctem designant. Quatuor quidem Mithrae Anaglypha aere incisa exhibuit Cl. a Turre, quorum prius [5] ex Antii ruderibus effossum; alterum [6] in Aedibus Burattianis, dein Alberoniis ad S. Angelis Custodis prostans; tertium [7] ad latus occiduum, in ipsa scilicet facie, & prospectu Palatii Pinciani; & quartum denique [8] ad latus septentrionale eiusdem Palatii, cuius epigraphem supra citavimus, quodque etiam retulerat Gruterius [9]. Quinque huiusmodi Anaglypha sane describit Gruterius ipse [10], tum Capaccius [11], & Summontius [12] alterum delineatum produnt. Pignorius [13] quinetiam aliud a Marliano [14] adductum exhibet. Octo Romae huiusmodi Tabulas locis diversis nactum se laudatus a Turre testatur [15], tres nempe in Villa Pinciana Burghesiorum, quae descripsit Dominicus Montellaticus [16], & innuit Ficoronius [17], Matthaeianam nostram, Sanesianam, & Burattianam iam designatas; quibus duo solida, & exstantia Mithrae simulacra eiusdem Pincianae Villae addenda sunt. Nec praetereunda altera Mithriaca Tabula, quam in inferiori cubiculo Palatii Principis Iustiniani collocatam inter Addenda [18] memorat idem Cl. Auctor. Nos vero nunc ceteras, quas apud Scriptores offendimus, vel alicubi exstantes deprehendimus, innuemus. Gruteriana [19] Mithriaca Ta-

(1) *Macrob. Saturnal. Lib. I. Cap. XXI.*
(2) *Ibid. Cap. XX.*
(3) *Vid. Porphyrium de Abstinentia Lib. IV. cap. XVI. & Phil. a Turre loc. cit. Cap. IV. pag.* 190. *& seq.*
(4) *Loc. cit. pag.* 191.
(5) *Ad pag.* 157.
(6) *Ad pag.* 159.
(7) *Ibid.*
(8) *Ad pag.* 161.
(9) *Pag.* 34. *num.* 4.
(10) *Pag. eadem num. seq.*
(11) *Histor. Neapol. Lib. I. Cap. XIV.*
(12) *Lib. I. pag.* 77. *postremae editionis.*
(13) *In auctario ad Chartarium pag.* 294.
(14) *Topograph. Vrbis Lib. VII. pag.* 153.
(15) *Loc. cit. Cap. I. pag.* 159.
(16) *Villa Borghese pag.* 162., *e* 165.
(17) *Le singolarità di Roma moderna Cap. IX. pag.* 72.
(18) *Loc. cit. pag.* 252.
(19) *Pag.* 34. *num.* 6.

Tabula adducitur a Laurentio Begerio [1], tum insuper apud ipsum [2] habetur designatio picturae hieroglyphicae, officium boni coloni exprimentis ex antiqua marmorea Tabula, quae Romae asservabatur in Aedibus Octaviani Zinii, prope Theatrum Pompeii, & Campum Florae, quamque etiam Ioachimus Camerarius adduxerat [3], ubi profecto non aliud, quam Mithrae simulacrum exhiberi credendum est. Alteram huiusmodi votivam Tabulam, prope rudera Turris Mesae, ubi Solis templum ab Aureliano exstructum, repertam, & in Aedibus Columnensibus asservatam protulit Vignolius [4]. Ingens, & inaestimabile Mithrae Anaglyphum Neapoli apud Ioh. Carafam Noiae Ducem exstare tradit Cl. Mazochius [5]. Novem alias Mithriacas Tabulas Montfauconius ex Turrio, Maffeio, Vignolio, Begerio, & ex ipsis Burghesianis, & Iustinianeis archetypis rursus protulit [6]. Tandem in Aedibus suburbanis Alexandri Albanii Cardinalis adest huiusmodi Tabula anaglyptica; Tum Simulacrum Mithriacum exstans, & solidum vidi nuper Praeneste in Aedibus Principum Barberiniorum. Praetereo Gemmas, quas ex Leonardo Augustinio praesertim Cl. a Turre [7] adducit, & Nummum rarissimum, quem refert Vignolius [8], ubi Mithra variis expressus modis conspicitur; quae sane mihi nunc tantum innuisse sufficiat.

(1) *Spicileg. antiquitatis; Coloniae Brandeburgicae ann.* 1692. *Par. III. num. XXI. pag.* 97.

(2) *Ibid. pag.* 99.

(3) *De Re rustica; Norimbergae* 1577. *in* 4. Meminit & Ioh. Macarius in libello, cui titulus *Abraxas pag.* 14., Ioh. Chiffletius in Commentariis ad eumdem Macarium *Cap. III. pag.* 71., & Laurentius Pignorius *loc. super. cit.* Vid. a Turre *Cap. I. pag.* 161.

(4) *Inter Antiquas Inscriptiones selectas post Dissert. de Columna Imp. Antonini Pii, Class. I. pag.* 174.

(5) *Spicilegii Biblici Tom. II. pag.* 86.

(6) *Antiquit. expliq. Tom. I. Par. I. Tab.* 215. *num.* 4. *pag.* 378., *Tab.* 216. *num.* 1., & 2. *pag.* 380. *ex Thil. a Turre, Tab.* 217. *num.* 1. *in Villa Burghesiana, num.* 2. *ex Maffeio, num.* 3. *ex Vignolio pag.* 382., *Tab.* 218. *num.* 2. *in Aedibus Iustinianeis pag.* 384., *et Tab.* 219. *num.* 1. *ex Thil. a Turre, num.* 2. *ex Begerio pag.* 384.

(7) *Loc. cit. inter Addenda pag.* 249.

(8) *Loc. cit. pag.* 176.

TAB.

Tab. EADEM.

FIG. II.

TABULA HELIACA.

Celebris est Tabula Heliaca Matthaeiorum ob Hieronymi Aleandri Iunioris explicationem (1), quae etiam a Graevio denuo edita est (2). Quare eius illustrationem brevi expediemus, ne actum agamus. Illud statuemus in primis ex Macrobio (3), *Deos omnes ad Solem referri*; ut proinde facile coniici possit, Aleandro teste (4), huius antiquae Tabulae auctorem, quam ex albo Romano marmore, magnitudinis pedum sesquitrium ex unoquoque latere, signis parum prominentibus exsculpto, & Romae in Aedibus Hasdrubalis Matthaei Marchionis Iovii tunc exsistentem delineationibus ad amussim expressam ipse exhibuit, ad hoc praecipue spectasse. Siquidem in ea praecipuum locum obtinet Solis caput, radiis circumdatum; tum habentur ibidem peculiaria Apollinis insignia, arcus nempe, & pharetra, ac dein conspicitur poculus Bacchi hedera circumdatus, clava, ac leonina pellis Herculis, ac tandem Mercurii caduceus. Hinc totus est Aleander, ut praeter eas rationes, quas affert Macrobius, argumentis evincat, quatuor isthaec Numina Apollinis, Bacchi, Herculis, & Mercurii ad Solem esse referenda. Verum ad hoc eruditionum promtuarium digitum tantum intendisse sat erit. Verumtamen haud intacta praetereunda sunt nonnulla, quae praeter laudata Deorum symbola in hac Tabula deprehenduntur. Encarpus siquidem adnotandus venit, qui Herculeis binis clavis adhaerens, & lemniscis alligatus infra Solis caput pendet, & ex implexis frondibus, floribus, frugumque spicis conficitur. Eo namque ex Aleandri sententia (5) telluris fecunditas vi Solis excitata citra dubium praemostratur. Sequuntur cumuli lapidum, quibus clavae Herculeae, & Mercuriales virgae innituntur. Huc nimirum referendae sunt eruditiones, quae de Hercule Saxano, & Viali, & de lapidum acervis, in triviis a praetereuntibus in Hermularum honorem erigi solitis, plena manu ab Aleandro afferuntur (6). Consuli etiam poterit Cl. Mazochius

(1) *Antiquae Tabulae marmoreae Solis effigie, symbolisque exsculptae accurata explicatio, etc. Romae ex Typographia Barth. Zanetti* 1616. *in* 4.

(2) *Antiq. Roman. Tom. V.*

(3) *Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.*

(4) *Loc. cit. pag.* 11. *edit. Roman.*

(5) *Loc. cit. pag.* 33.

(6) *Loc. cit. pag.* 37.

chius [1], qui ritum hunc & a Iacobi hiſtoria [2] profectum, & proverbio, quod eſt *mittere lapidem in acervum Mercurii*, occaſionem dediſſe contendit. Neque vero de myſtica interpretatione, quam etiam de his omnibus attexuit Aleander [3], ſolliciti erimus; quandoquidem facile quiſque vel id coniicere, vel etiam cum eo ſentire facile poterit, nimirum Tabulae noſtrae auctorem eam fortaſſe pro amuleto in aliqua Villa ad agrorum conſpectum affinxiſſe, ut Soli ubertatis largitori hoc honore exhibito, rerum ex agris provenientium fecunditatem, quam recenſita ſymbola protendunt, ſibi polliceretur, ſive ex aequaliter librato quatuor elementorum temperamento, quae heic allegorice expreſſa arbitratur, ſive potius ex quatuor anni temporibus felici decurſu ſuccedentibus, quae heic veroſimilius deſignata inſuper cenſuit, Apolline aeſtatem, Baccho autumnum, Hercule hiemem, Mercurio ver referente. Tandem de Lyra aliqua dicenda ſuperſunt, quam ex hoc ipſo Matthaeiano Solis Anaglypho dedit Cl. Praeſul Franciſcus Blanchinius in eius Tractatu de tribus generibus Muſicae veterum, inflatile, tenſile, & pulſatile [4]. Heptachordis, vel decachordis haec Lyra eſſe deberet; primam enim Apollini tribuit Aleander ipſe [5] ex Macrobio [6], Sidonio [7], Euripide [8], Callimacho [9], & Plutarcho [10]; alteram ex Fulgentio [11] comminiſcitur. At neutrum numerum expreſſit ſculptor noſter, qui octo chordas ex Blanchinii deſignatione affinxerit. Ceterum hanc Citharam potius appellandam, & a Lyra, & teſtudine Mercurii diſtinguendam eſſe arbitratur Blanchinius ipſe. De hac Tabula nonnulla attigit Pitiſcius [12], eamque rurſus exhibuit Cl. Montfauconius [13].

(1) *Spicileg. Biblic. Tom. I. pag.* 113, *adnot.* 4.
(2) *Geneſ. Cap.* 13. *verſ.* 46.
(3) *Loc. cit. pag.* 44., *& ſeqq.*
(4) *Tab. V. num.* 9. *Tom. II. Muſ. Roman. Michael. Angeli Cauſei Sect. IV. pag.* 36.
(5) *Loc. cit. pag.* 36.
(6) *Saturnal. Lib. I. Cap. XIX.*
(7) *Epithal. Polemii, et Araneolae.*
(8) *Iphigen. in Taur.*
(9) *Hymn. in Delum.*
(10) *Sympoſ. IX., Libro de* EI *apud Delphos.*
(11) *Mytholog. I.*
(12) *Lex. Antiq. Roman. Tom. III. voc.* Sol *pag.* 456
(13) *Antiq. explic. Supplem. Tom. I. Lib. III. Cap. III. num.* 1. *Tab. XXXII. num.* 1. *pag.* 84.

TAB.

TAB. II.

FIG. I.

VENUS MARINA.

SUperiori Volumine [1] duo alia ſingularia Anaglypha, Marinam Venerem referentia, produximus. Nunc alterum longe praeclarius exhibemus, in quo Venus *orta ſalo* [2] exprimi videtur. Sculpturae noſtrae forte ſimilis fuit pictura Apellis, de qua eſt Auſonii Epigramma [3], quod ex Graeco Antipatri textu Latinum fecit:

Emerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:
Ut complexa manu madidos ſalis aequore crines
Humidulis ſpumas ſtringit utraque comis.

Nuda apparet Venus, capillos manibus ad auras pandens, & in concha iacens, quam ſedem, vel currum Veneris agnovit Tibullus [4], dum ait:

Et faveas concha, Cypria, vecta tua.

& poſt eum Statius non uno in loco [5]. Primus inter Latinos Plautus [6] concham Veneri tribuit, dum ipſam alloquitur duas puellas eius clientelae commendans:

Te ex concha natam eſſe autumant: cave tu harum conchas ſpernas.

Primus vero ex Graecis Lucianus eſt [7], qui Europam memorans Toro advectam ſic ait: Τὴν Ἀφροδίτην δύο τρίτωνες ἔφερον ἐπὶ κόγχης κατακειμένην. *Venerem duo Tritones portabant concha iacentem*. Feſtus refert opinionem eorum, qui Venerem Cytheram concha advectam putant; nam *Cytherea Venus* ab urbe Cythera, in quam prius concha delata dicitur, quam in mari eſſet concepta, fertur appellata. Hinc *Conchae Cytheriacae* a Martiale [8] memorantur. Et revera, teſte Plinio [9], *navigant ex his* (conchis) *venereae, praebenteſque concavam ſui partem, & aurae opponentes, per ſummam aequorum velificant*. Verum de conchis venereis conſulatur Rondoletius [10]. Broukuſius vero ad Tibullum [11] dubium

(1) *Claſſ. IX. Tab. LXII. Fig. I., et II. pag. 79., et 80.*
(2) *Auſonius Epigr. XXXIII. pag. 98. Tom. V. Collect. Piſaur. omnium Poematum.*
(3) *Epigr. CVI. pag. 103. edit. eiuſd.*
(4) *Lib. III. Eleg. III. verſ. 34.*
(5) *Lib. I. Silv. II. verſ. 119., et III. Silv. IV. verſ. 5.*
(6) *Rud. Act. III. Sc. III. verſ. 43.*
(7) *Dialog. Zephyri, & Noti.*
(8) *Lib. II. Epigr. XLVII.*
(9) *Hiſt. Natur. Lib. IX. Cap. 33.*
(10) *Lib. XIII. Cap. 12.*
(11) *Adnot. 8.*

bium profert, an Tibulli magis poetica ſit opinio, qui Venerem ſua vi advectam fingit, quam Luciani, qui a Tritonibus undis innatantibus ſuſtentatam, qualem heic conſpicimus, profert, ac demum pugnat pro Tibullo. Certe quidem non admodum frequentia ſunt Monumenta, quae Venerem in concha ſedentem exhibeant. Pauciſſima referuntur a Montfauconio praeter hoc noſtrum, quod apud ipſum primas tenet [1]. Venus in concha iacens cernitur etiam inter Picturas Herculanenſes [2], quarum illuſtratores Academici illi eruditiſſimi varias etiam adferunt rationes, ob quas Veneri conchae ſacrae fuerint [3], neque Anaglyphum hoc noſtrum ſilentio praetereunt [4]. Hoc ipſum tandem praeter Montfauconium dedit etiam Baſſus Baſſius Banierianae Mythologiae adnotator [5]; ſed Geniis omiſſis, qui Tritonum caudis inſiſtunt, quorum unus ſpeculum, alter craterem manu gerit, ut in noſtro ſchemate apparet.

Tab. EADEM.
FIG. II.
B A C C H U S.


Legans Anaglyphum heic conſpicis, quatuor columnis ex ordine compoſito ornatiſſimum, quarum interſtitiis tres loculi efficiuntur. Horum medium occupat mulier tunicata, forte Bacchi Sacerdos, ſive etiam Regina ſacrorum, quae ſacrum mantile ſuſtinet, quo humeros in re ſacra celebranda contegebat, ac quid inſuper ſiniſtra manu elevata gerit, quod non facile dignoſcatur. Gemini Bacchi hinc inde adſtant, duos alios loculos occupantes; quorum qui dexteram partem tenet, hinnulum anterioribus pedibus erectum capite ſuſtentat, & racemum forte palo ſupenſum altera manu gerit; qui vero ſiniſtram partem tenet, alitem collo prehenſum oſtendit, & altera manu palo, ſive etiam vitis palmiti innititur, cui racemus adhaeret. Symbola omnia clariſſima ſunt, praeter volucrem, quem an anſerem, an anatem dicam, ignoro. Certe Pica Baccho ſacra fuit, & anſer Proſerpinae [6], anas vero Neptuno, Priapo, Iunoni, & Iſidi quinetiam

(1) *Antiq. expliq. Tom. I. num. 5. Tab. CXIX. pag.* 164.
(2) *Pitture d' Ercolano Tom. IV. Tav. III. pag.* 15.
(3) *Not.* 5. *pag.* 13.
(4) *Not.* 6. *ibid.*
(5) *La Mitologia del Banier tradotta in Italiano &c. In Napoli, Tom. I. Lib. I. Cap. V. Tav.* 53. *pag.* 232.
(6) *Pauſan. in Boeotic.*

tiam tribuebatur (1). Verum non ita facile ſymbola omnia Numinibus propria decernas, quae plerumque a populorum, quin & uniuſcuiuſque voluntate pendebant. Simile alterum Anaglyphum Herculi ſacrum occurret inferius (2).

TAB. III.

FIG. I.

TERRA.

JAcentem mulierem in diſrupto hoc Anaglypho potiſſimum conſpicis. Tunica amicitur, & velum ſupra caput attollitur. Siniſtro genu vas pomis refertum ſuſtinet, cui adludit Geniolus aliger. Pedes alterius mulieris, qui reliqui ſunt, figuram alteram ſimilem, quae periit, facile innuunt. Vas etiam apparet, nec deeſt Geniolus alter, qui vaſi manus admovet. Tellus heic expreſſa eſt εὐρύστερνος *lato pectore praedita*, ut eam vocat Heſiodus (3), quae praeſertim pomorum mater eſt, & genitrix. Ipſa quidem inter Numina primas tenet, utpote quae prima ex Chao emerſerit, *primamque Deorum* appellet Virgilius (4).

TAB. EADEM.

FIG. II.

HERCULES.

OVali corona circumducitur Herculis ſimulacrum anaglyptico opere expreſſum. Dextera manu clavam ſuſtinet. Faſcia ſuper femora adducitur, quae inguen contegit, & in qua recenti ſcalpro inſculpta eſt Italica epigraphe: PER FAMA.

(1) *Vid. Cuperium in Harpocr. pag.* 54., & 74.
(2) *Tab. IV. Fig. II.*
(3) *Theogon. verſ.* 117.
(4) *Aeneid. VII. verſ.* 146.

TAB.

TAB. IV.

FIG. I.

HERCULES.

Eonina pelle amictus, & Hesperidum pomum dextera manu gerens, Amalthaeae cornu sinistra, cernitur heic Hercules. Stolata mulier prope ipsum adstat, nudis, & extensis brachiis, sacrificantis, vel precantis more. Forte quia creditus ab antiquis Hercules lucri Deus, & tamquam πλουτοδότης cultus est [1], cornucopiae eidem tributum nunc deprehendimus. Hercules quidem suos habuit sacerdotes, eosque nudis pedibus, qualis nunc est stolata mulier, sacrificasse, testis est Silius Italicus [2]. An vero feminis aditus patuerit ad eius sacra, affirmare non possum. Certe, si Suidae fides habenda est, Herculis templum feminis ingredi nefas erat, ut viris Bonae Deae. Ast a precatione prohibitas fuisse, nemo negaverit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

HERCULES.

Imile Anaglyphum Baccho sacrum superius [3] adduximus. Alterum heic nunc exhibemus Herculi dicatum. Triplex Herculis simulacrum sculptum cernitur, quorum primum leonina pelle amicitur, pedibus ante pectus revinctis, reliqua caput tegente, & ad sinistrum brachium advoluta, cornucopiae insuper addito, quod & in proximo Anaglypho mox adnotavimus. Alterum, quod medio loco situm est, simili fere ratione leoninam pellem gerit, si illud excipias, sinistrum brachium ea destitui, quod clava, cui Hercules innititur, eadem circumtegatur. Sequitur tertium, quod exprimitur clava ad dexteram manum apposita, & leonina pelle caput operiente, tum sinistro brachio sustentata, addito insuper aureo pomo, quod laeva gerere videtur. Barba primo, & altero data est, ipsaque tertium caret: nec certe novum est, modo senem, modo iuvenem Herculem effingi. Ast cer-

(1) *Pitisc. Lexic. Antiq. Roman. voc.* Hercules, *pag.* 268.
(2) *Lib. III. vers.* 23.
(3) *Tab. II. Fig. II. pag.* 8.

certe novum, uno in loco & ſenili, & iuvenili aetate, & triplici figura eumdem inſculpi. Si divinare fas eſſet, Thronum Herculis hoc Anaglyphum inſcriberem, & Bacchi alterum dicerem. Certe figura quoquo modo reſpondet Monumento illi ſane egregio, quod Ravennae eſt, & Neptuno dicatum dicitur, quodque illuſtratum fuit a Iacobo Belgradio, qui in Loyolitarum caſtris meruit (1). Thronos enim Diis conſecrari mos erat, quandoquidem & Marti hunc dicaſſe Ptolemaeum Evergetem III. Aegypti regem, conſtat ex celebri Monumento Adulitano (2), in quo ad calcem legitur: Τὸν δὲ τὸν δίφρον παραθήκην τῷ Ἄρει ἐποίησα ἔτει τῆς ἐμῆς βασιλείας ΚΖ. *Hunc Thronum Mavorti dicavi anno imperii* XXVII. Quemadmodum & alterum ad templum Iovis Olympici miſiſſe primum ex exteris Arimnum Tuſcorum regem, forte Ariminenſis civitatis conditorem (3), teſtis eſt Pauſanias (4). Hinc Imperatoribus inter Deos relatis conſecratae etiam huiuſmodi ſellae fuerunt, ut obſervavit Chimentellius (5).

(1) *Saggi della Società Letteraria Ravennate. In Ceſena* 1771. *per Gregorio Biaſini, Tom. II. Diſſert. II. pag.* 44.

(2) Edidit Leo Allatius Romae typis Iacobi Maſcardi in 4. 1631. Emerici Bigotii editionem a Thevenotio peractam anno 1666. Pariſiis, atque alteram ex hac ipſa petitam a Daniele Caſpere a Lohenſtein in notis ad Cleopatram ſuam *pag.* 180. laudat Fabricius *Biblioth. Graec. Tom. II. Lib. III. cap. XXV.* §. *I. col.* 604., ubi & ipſe illud adducit. Recuſum eſt etiam Lugduni Batavorum apud Danielem a Gaesbeerck ann. 1674. in 12., quae editio incognita fuit Fabricio. Tandem edidit & Simon Magiſtrius Oratorii Romani Presbyter in *Diſſertat. III. Apologiae Sententiae Patrum de LXX. virali verſione* §. *XXIV. pag.* 425. poſt LXX. viralem Danielis verſionem, Romae excuſam typis Propagandae Fidei anno 1772. Monumentum hoc multo plenius eo, quod ex Codice Bibliothecae Vaticanae edidit Allatius, exſtabat in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Florentiae, teſte Ioh. Cinellio *Biblioteca Volante Scanzia VII.*, *litt. L.*, *pag.* 90. edit. I. Parmen., & *Tom. I. litt.* A, edit. II. Venetae. Sed nulla habetur ipſius mentio in *Catalogo Codicum Graecorum Bibliothecae Laurentianae*, III. Voluminibus comprehenſo, edito a Viro Cl. Angelo M. Bandinio, qui inſuper nobis teſtatus eſt, nondum ullum in eius manus incidiſſe Codicem, in quo hoc Monumentum exaratum eſſet.

(3) Vid. Ioh. Bapt. Paſſerium in Libro, cui titulus: *In Thomae Dempſteri Libros de Etruria regali Paralipomena*, ubi *de nominibus*, *praenominibus*, *cognominibus*, *&* *metonymicis Etruſcorum*, *pag.* 218. Vid. & *Alphabetum* noſtrum *veterum Etruſcorum* ſecundae edit. in *Tom. III. Pictur. Etruſc. in Vaſculis* laudati Paſſerii §. *IV. pag. LXXXII.*

(4) *Eliacor. I.*

(5) *Marmor Piſanum de honore Biſelli: Parergon inſeritur de veterum Sellis &c. Cap. XIV.*

CLAS-

CLASSIS II.

QUAE CONTINET

FABULAS AD DEOS PERTINENTES.

TAB. V.

PLUTO ET PROSERPINA AB EO RAPTA.

HOc Anaglypho Plutonis, & Proſerpinae fabula exprimitur. Cernitur enim in primis Plutonis currus quatuor equis vectus, in quo ipſe Pluto barbatus ſtat velo ſupra caput expanſo, quod divinitatis ſymbolum eſt; atque ſiniſtra manu equos ſollicitandos Cupidini aurigae indicit, dextera vero Proſerpinam raptam, & ſparſis iam capillis, manibuſque expanſis omnino reluctantem tenet. Accurrit Pallas galea ornata, & induta veſte ad femora explicata, & pone ipſam duae Nymphae, quarum quae remotior, & magis abſcondita, quaeque caput exſerit mitella ornatum, forte Venus eſt, altera vero, quae ad terram ex metu procumbens e longinquo caſum conſpicit, Diana apparet ex velo ſupra caput ad zephyros expanſo, ut ſaepe in veteribus monumentis exprimitur, & ex puero eidem ſuperſtante, qui forte Lucifer eſt, quique Dianam praecedere conſuevit. Nymphae ſiquidem plures, inter quas & illae, quarum nomina recitavimus, egreſſae fuerant in Enneos Siciliae campos, ut flores legerent, cum hic Plutonis raptus contigiſſe dicitur. Volat praeterea ſupra quadrigam Genius aliger, Amor nempe, vel ut Plutonis laſciviam innuat, vel quod ad Dianam, & Proſerpinam pertineret, teſte Tullio (1), qui ait: *Dianae item plures; prima Iovis, & Proſerpinae, quae pinnatum Cupidinem genuiſſe dicitur*. Tum Plutoniis equis Mercurius ſolemnibus ſuis ſymbolis conſpicuus praecedit, eoſque ductare videtur, quod nimirum, teſte Horatio (2), tam inferorum, quam ſuperorum miniſter cenſeretur. Sub equis tandem iacet fluvius, nec alius certe, quam Apanus, ad quem Naiades perterrefactae confugiſſe dicuntur. Adſtat ſuperne Iuppiter, throno inſidens, ſeminudus, ſtipatus aquila, & fulmine armatus, ut innuatur, raptum illum

(1) *Lib. II. de Natur. Deor.*

(2) *Carm. Lib. I. Od. X. verſ. 19.*

illum ope, & conſilio Iovis effectum, ut ex Heſiodo [1], & Apollodoro [2] deprehendimus. Una Parcarum Lacheſis, alata, prope ſtans de connubio hoc cum Iove agit. Alas nempe Parcis tribuit Orpheus in Hymnis, adduntque & ipſae veterum Etruſcorum picturae [3]. Pone ſequitur currus alter duobus vectus equis, in quo Genius alatus aurigae vices gerit, atque in eo adſtat Ceres, quae filiam quaerens manu taedam habet, quam ex ignibus ab Aetnae vertice erumpentibus accendiſſe ferunt. Pro Draconibus, qui Cereris currui iungi ſolebant, heic equi poſiti conſpiciuntur; id enim a Sculptorum arbitrio pendere facile potuit. Infra currum iacet mulier, quae forte pomum dextera manu gerit, ac puerum in ſinu habet, ipſius mammae lallantem; prope vero alter adſtat, qui flores in vaſe reponit. Siciliam nempe heic agnoſcas, in qua raptum hunc contigiſſe finxerunt veteres, ut eius Inſulae feracitatem, aeriſque temperiem innuerent; Tota enim haec fabula myſticam terrae fecunditatem, & ſeminum ſationem, quam Antiquitatis amatores probe norunt, oſtendit; etſi Salluſtio Philoſopho [4] animae deſcenſum prodere videatur. Quare ad alterum Anaglyphum, idem exprimens argumentum, iuvat procedere.

TAB. VI.

PLUTO ET PROSERPINA AB EO RAPTA.

ALterum, quod nunc exponimus, Monumentum, deterius longe exſerit artificium, nec omnes fabulae partes repraeſentat. Habes Plutonis currum quadriiugum, in quo Pluto ipſe renuentem omni niſu Proſerpinam abducit. Currui adſtat Mercurius ſuis inſignibus ornatus. Forte Diana, velo ſupra caput expanſo decora, veluti pavida caſum eminus intuetur. Iuppiter dein adſtat manu haſtam gerens, inferius tunicatus, & Lacheſim exorantem, veloque volitante inſignitam auſcultat. Sequitur currus alter biiugus, quo vecta cernitur Ceres facibus accenſis filiam conquirens. Calathi, ſive vaſa everſa, & prolabentes flores, quos heic conſpicis, vel hiemen denotant, vel fabulam exſecti Attinis innuit, qui flores ſignificabat; & quod abſciſſus, florem ante fructus deciduum demonſtrabat [5]. Ceterum Salluſtius Philoſo-

(1) *Theog. verſ.* 914.
(2) *Biblioth. Lib. I.*
(3) *Vid. Tom. I. Pictur. Etruſcor. in Vaſcul. Ioh. Bapt. Paſſerii Tab. VII. pag.* 11.
(4) *De Diis, & Mundo Cap. IV. pag.* 51.
(5) *S. Auguſtinus de Civ. Dei Lib. VII. Cap. XXV.*

ſophus [1] hunc raptum περὶ τὴν ἐναντίαν ἰσημερίαν, *circa alterum aequinoctium*, autumno nempe, contigiſſe tradit; ac revera VI. Nonas Octobris Feſtum hoc ponitur a Ioh. Lydo, teſte Allatio [2]. Cur non hoc tempus etiam heic deſignatum credas? Plura tandem habentur vetera monumenta, quae hanc ipſam fabulam praeſeferant. Conſulatur praeſertim Anaglyphum Hortorum Mazariniorum apud Bellorium [3], & apud Montfauconium [4], tum etiam Typus zonae Statuae cuiuſdam veteris apud Paullum Gualdium Archipresbyterum Patavinum, hanc ipſam fabulam referens, quem illuſtravit Hieronymus Aleander Iunior [5], qui inſuper Anaglyphum quoddam, in quibuſdam Hiſpanorum aedibus e regione templi Divi Ludovici ſua aetate proſtans adduxit [6], meminitque alterius apud Accorombonios adſervati. Praetereo nobilium artificum opera Proſerpinae raptum exprimentia, quorum alterum ex aere, alterum in tabula pictum memorat Plinius, & annularem Neronis gemmam, quam tradit Svetonius, tum puteal, in quo, Pauſania teſte, hic idem raptus Pamphili vetuſtiſſimo artificio expreſſus fuerat. Ceterum admodum frequens eſt Proſerpinae raptus in Nummis Urbium Aſiae proconſularis, quos Vaillantius in opere de Nummis Impp. Graecis enumerat. Cl. Spanhemius [7] putat id factum, quod Graeci Aſiatici ſibi perſuaſere, in patria ſua raptum illum contigiſſe, etſi alii populi hunc ſibi vindicent honorem, quos ſcilicet refert Sigiſmundus Liebeius [8]. Recens Berninii opus Proſerpinae raptum exprimens cernitur tandem in Hortis Ludoviſiis, quod Paullus Alexander Maffeius aere inſculptum exhibuit [9].

(1) *Cit. opere de Diis, & Mundo, ibid.*
(2) *Ibid. in Adnotat. ad calcem pag.* 115.
(3) *Admirand. veter. Romae Tab. LIX., & LX.*
(4) *Antiq. explic. Tom. I. Part. II. Tab.* 39., & 40. *pag.* 78., & 80.
(5) *Poſt Antiquae Tabulae marmoreae, Solis effigie, ſymboliſque exſculptae accuratam explicationem, cui acceſſit non abſimilis argumenti expoſitio ſigillorum Zonae veterem Statuam marmoream cingentis, edit. Roman. pag.* 77.
(6) *Ibid. pag.* 93.
(7) *Ad Callimachum pag.* 667.
(8) *Gotha Nummaria Cap. XI. §. XIV. pag.* 374.
(9) *Raccolta di Statue Tav. LXVIII.*

TAB. VII.

FIG. I.

BACCHUS ET ARIADNA.

STat Bacchus ſeminudus, pallio femora dumtaxat obtegente, haſtamque ſiniſtra manu habet, quae cuſpide donatur, quaeque heic forte pro thyrſo invecta eſt. Curru vehitur, in quo adeſt Faunus nebride cinctus, cui Bacchus innititur. Sequitur Centaurus ſenex, cui Genius inſidet, & cui Centaurus alter iunior adſilit, a quo currum trahi fere videtur, & quem, tigribus, leonibus, lincibus, & pantheris deficientibus, non abſurdum fuerit currui iunctum ſtatuere. Iacet Ariadna ſomno indulgens in Inſula Naxo, & linteo ad femora obtecta, cui ſuperſtat mulier miniſtrans, ſeu Baccha racemum manu tenens. Nuda manus ex abſcondito prodit, quae linteum deducit, quam cui tribuam, ignoro. Marmor, quod parietibus Aedium Matthaeianarum in Circo Flaminio adhuc haeret, in alto nimis proſtat, ut oculorum meorum acie commode quod re vera ſit, quodque a pictore ex incuria depravatum fuerit, aſſequi poſſim. Adſtant hinc inde Satyri tenelli, quorum unus tigridi innititur. Vites quoque hinc inde prodeunt e terra, quae ſupra Bacchicum coetum diffunduntur, ut tandem earum extremitates inter ſe coniungantur; atque ex vitibus pampini, & racemi ubique pendent. Bacchi famulatus hinc inde adeſt, ipſius nuptiis cum Ariadna initis plaudens. A dextris Satyrus ſenex conſpicitur, qui vas uvis plenum baiulat, ac prope eum ſtat mulier racemum manu tenens, & tigride ad pedes comitata, quae forte aliqua eſt ex choro Bacchantium. A ſiniſtris cernitur Faunus nudus pateram, vel lancem manu tenens, tum ſequitur Bacchans tympanum pulſans, ceterae vero curant ſacrificium aliquod, adſtante ara, & Herma, cui obſeratur. Quid iuvat ceteras parum conſpicuas, vel dubias figuras perſequi?

TAB.

Tab. EADEM.

FIG. II.

BACCHUS ET ARIADNA.


D ſiniſtrum angulum cubat prope arborem Ariadna obtecta linteo, quod diducere videtur Morpheus ſuperſtans ſeminudus, qui vel papaver ſiniſtra manu tenet ſomni ſymbolum, vel ramum ulmi, ſub cuius foliis ſomnia ab eo inducta apud inferos ſedere narrat Virgilius [1]. Faunus fiſtulam manu gerens Venerem nuptiarum praeſidem forte ad Ariadnam adducit. Tum ſequitur mulier pyxidem gerens, quae forte ex Bacchantium ordine. Bacchus imberbis, nudus, & corniger nebridem expanſam tenet. Hinc Pan pedo, & fiſtula inſtructus, Bacchus iterum thyrſum geſtans, & neſcio quid aliud ſupra caput attollens, Apollo arcum pone dorſum habens, Vulcanus malleo armatus, Cyclope forte ad ipſius pedes adſtante, ac tandem Mercurius petaſo, & caduceo inſignis. Dii ſiquidem omnes hiſce nuptiis adfuerunt, donaque contulerunt, teſte Hygino [2]. Anaglyphum hoc noſtrum laudatur a Winckelmannio [3], ut Ariadnam dormientem, Morpheo adſtante, innuat, ut & in Sarcophago Capitolino Endymion cernitur in Latmo monte iacens, & in ipſius Morphei ſinu conſopitus.

Tab. VIII.

FIG. I.

BACCHUS ET ARIADNA.


Binis Centauris buccinas inflantibus, quorum uni Genius inſidet, trahitur currus, in quo adſtat Bacchus thyrſo inſignis, & Ariadna, eidem iam coniugio iuncta. Inferne Genius alter conſpicitur tigridi, quae Baccho ſacra, adblandiens. Bacchae hinc inde occurrunt pulſantes tympana, tum Silenus vino madidus, forte cantharum gerens, & a puero ſuſtentatus, ac tandem Fauni, quorum unus utrem vino plenum baiulat, alter puerum attollit, cuius caput arboris trunco aptat; quae omnia nobis ebrioſorum hominum actiones produnt. Tigris altera inter eos verſatur.

TAB.

(1) *Aeneid. Lib. VI.* (2) *Poetic. Aſtronomic. Lib. II.* (3) *Monumenti antichi inediti To. II. Par. II. Sez. II. Cap. I. pag. 147.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

BACCHUS ET ARIADNA.



Riadna ſola curru vehitur, cui iunctae tigres. Bacchus craterem gerens currui praecedit. Duae Bacchantes veſtibus expanſis, & vultibus furorem ſpirantibus currum comitantur. Baccho praeit Silenus, eiuſdem paedagogus, & ſocius, aſello vectus, & utrem ferens, tum caper inferne iacet. Sequitur Silvanus pineis foliis coronatus, & cornucopiae gerens. Faunus forte comitatum claudit, qui Cornu potorium a Genio oblatum accipit, tum Genius alter inſuper adſtat cum caniſtro, & tigride. Leonina capita cum annulis ornatui inſerviunt, de quibus videndi Herculanenſes Academici eruditiſſimi, qui multa hac de re adnotarunt (1). Ceterum Bacchi, & Ariadnae chorus ex Hortis Montaltinis adductus etiam eſt a Bellorio (2), in quo & ſaltatio thimelica, & Satyricus apparatus conſpicitur. Eaſdem nuptias inſuper expreſſas habes in Sarcophago ex ſubſtructionibus Turris campanariae Eccleſiae Cathedralis Hortanae, nunc in Villa Nuptia, cuius ſchema Iuſtus Fontaninius Vir Cl. exhibuit (3). Tum Bacchi comitatus Ariadnae occurrens videri etiam poterit in Picturis Herculanenſibus (4), in quibus tandem Bacchus ipſe cum Ariadna cubans conſpiciendus venit (5). His omnibus addenda nunc eſt Urna ex pario marmore ſaberrime ſculpta, ab omni temporis detrimento immunis, ac nuper effoſſa in praedio Caſaliae gentis patritiae, quae propediem ex liberalitate ampliſſimi Cardinalis Antonii Caſalii publicam lucem exſpectat, quaeque nimirum Bacchicam ſolemnitatem cum Liberi Patris, & Ariadnae ſimulacris repraeſentat.

(1) *De' Bronzi d' Ercolano Tom. I.*
(2) *Admirand. Vrbis Romae Tab. LIV., & LV.*
(3) *De Antiq. Hortae Lib. III. Cap. I. pag. 8.*
(4) *Pitture d' Ercolano Tom. II. Tav. XVI.*
(5) *Tom. IV. Tav. VIII. pag. 41.*

TAB.

TAB. IX.

DEORUM AMORES.

ROmana Hiſtoria ſub Deorum laſcivis amoribus hoc Anaglypho exprimitur. Medium locum tenet Mars, & Venus, quorum adulterium celeberrimum. Sequitur a ſiniſtro latere Mars, & Ilia, ſive Rhea Silvia, Numitoris filia, & Veſtae Sacerdos, quae ex Marte duos peperit filios, Romulum, & Remum, primos Urbis fundatores. Tum habes Anchiſem, & Venerem, ex quibus prodiit Aeneas in Latium profugus, & Silvii pater Latinorum regis. A dextero latere Amor, & Pſyche cernitur, qui heic inducti videntur, ut amorem inter Martem, Venerem, Iliamque, tum rurſus inter Anchiſem, & Venerem concilient. Poſtremum locum tenet Martis, & Veneris Genius, uterque facibus armatus. Singula Deorum ſymbola notiſſima quid iuvat recenſere? Tritones alati, ſive Genii quicunque ſuperne buccinas inflant, ut hiſce plaudant prolificis Deorum, atque Heroum facinoribus.

TAB. X.

FIG. I.

NEPTUNUS.

PRimo loco occurrit Neptunus pallio poſt terga obtectus, & vitta circa frontem redimitus, qualis & Iovis crines cingere ſolet. Siniſtra tridentem gerit, in quo tres delphini ad ornatum inſerti ſunt.

TAB. EADEM.

FIG. II.

POLYPHEMUS ET GALATEA.

NEptuni filius, atque ex Cyclopibus unus, nempe Polyphemus heic cernitur, qualis a Theocrito (1) deſcribitur καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν, *ſedens ſuper ſaxum altum, in mare aſpiciens*, obſecranſque cantu fugientem Galateam, quam de-

(1) *Idyll. XI. verſ.* 17.

deperibat. Siquidem Galatea marina Nympha, Nerei, & Doridis filia ad Cyclopem, dum somnum caperet, venire solita, expergefactum effugiebat, fugientemque per undas ipse ἐπ' ἀϊόνος φυκιοέσσης *in littore algoso* consistens blanditiis omnibus avocabat. Quid manu gerat, vel ostendat Cyclops, etsi prima fronte pellis appareat, non plane assequor; nisi forte caseus est, aut hinnulus, aut papaver, aut aliud quidquam male conformatum, quod pollicentem Galateae eumdem inducit Theocritus. Tritoni arcum gerenti insidet Galatea, ponto iam commissa, ac retro conspiciens frustra deprecantem Polyphemum. Hinc Amorculus, vel Geniolus Galateae proxime adludit, alter vero phaselum ducit.

TAB. EADEM.

FIG. III.

AMORES LUDENTES.



Ides heic Amores marinis equis vectos, & maris undis innatantes defixo, erectoque Tridente, quo Neptuni imperium demonstretur, vel qui cursus meta sit Amoribus certantibus. Ex hisce equis, ex tauro Europam ferente, & ex delphino, vel Tritone Venerem, Galateam, aliosque marinos Deos super dorsum asportantibus, naviumque vices subeuntibus factum est apud Graecos ἱππεύειν, quod idem est, ac *navigare*, ut ex Euripidis Scholiaste [1] discere est. Hinc naves pontigradae alati equi dictae sunt, vel *equi lignei*, ut apud Plautum [2], & Neptunus ipse ἵππιος, *caballinus* apud Phornutum nuncupatur. Naevius apud Nonium [3] nectit delphinos marinis equis in curribus Sirenum; ait enim: *Sirenes citis delphino iunctis vehiculis, hippocampisque asperis*, ut legit Scaliger. At Varroni [4] alii sunt *Hippocampi*, alii vero *Hippocampae*; cum etiam, teste Festo [5], *Campae* marini equi proprie dicerentur. Id ipsum nuper etiam luculenter ostendit Vir Cl. Augustinus Antonius Georgius Eremita Augustinianus [6], qui τὰ κάμπη Lycophronis [7] non *erucas*, ut vulgo, non *balaenas*, ut a Potterio creditum, sed τὰ κήτη, ut Tzetzes exposuit, marinas scilicet bel-

(1) *In Phoenissis.*
(2) *Rud. Act. I. Sc. Qui sunt.*
(3) *Cap.* 2.
(4) *De Ling. Lat. pag.* 35.
(5) *In* Campas.
(6) *De Theogonia Alexandri Sardii iudicium*, quod praefixum est eiusdem Auctoris *Numinum*, *& Heroum Originibus* Romae editis anno Iubilaei 1775., *pag. IV.*
(7) *In Cassandra vers.* 414.

belluas immenſae magnitudinis, ſeu peculiarius marinos equos, quos ita Graeci a poſteriorum partium flexu cognominarint, explicare aggreſſus eſt. Saepe quidem occurrunt luſus Amorum marinis monſtris inſidentium, & praeſertim in Picturis Herculanenſibus [1], quibus imperium Cupidinis terra, marique innuatur. Id nimirum Anthologiae elegans Tetraſtichum facile oſtendit:

Γυμνὸς ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ, καὶ μείλιχός ἐςιν,
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον, καὶ πυρόεντα βέλη.
Οὐδὲ ματὴν πάλαμοις κατέχει δελφῖνα, καὶ ἄνθος,
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇδὲ θάλατταν ἔχει.

Nudus Amor propter hoc ridet, & placidus eſt,
Non enim habet arcum, & igneas ſagittas;
Neque fruſtra manibus tenet delphinum, & florem,
Hac quidem enim terram, illa vero mare tenet.

Huc facit etiam, quod eſt apud Sophoclem [2], dum Amorem alloquitur: Φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος, *diſcurriſque tranſmarinus.*

Tab. XI.

FIG. I.

POLYPHEMUS ET GALATEA.



Uos ſuperiore Tabula Fig. II. Polyphemi, & Galateae amores deſignavimus, heic rurſus occurrunt. Intra pendentem encarpum, qui teniis alligatus a duobus Geniis ſuſtinetur, cernitur ſaxo inſidens Polyphemus, prope quem aries paſcit, aliumque manu ſuſpenſum Galateae ſupra delphini dorſum aufugienti oſtendit, & offert, quo ipſi blandiatur, & ad littus invitet. Convenit haec ſculptura iis fere, quae legere eſt apud Theocritum [3], quibuſque ita Galateam alloquitur Cyclops:

Ἀλλ' ὠὐτὸς τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω.

Sed ipſe talis cum ſim, oves mille paſco.

Tum haec addit, ut magis alliciat puellam [4]:

. . . . Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρὼς
Πάσας ἀμνοφόρως, καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων,

....Nutrio-

(1) *Pitture d'Ercolano Tom. I. Tav. XXXVII.*
(2) *In Antigon. verſ.* 796.
(3) *Cit. Idyll. verſ.* 34.
(4) *Ibid. verſ.* 40.

. . . . *Nutrioque tibi undecim binnulos*
Omnes fetum gestantes, & catulos quatuor ursorum.

Quae rupi, vel scopulo inter arbores, & folia altius insidet, forte mater est Polyphemi, sive Amphitrite ea sit, ex qua Neptunus ceteros Cyclopes suscepit, sive Thoosa, ex qua Polyphemus, & Phorcus, ut ex genealogico Sardii schemate colligitur (1). Certe quidem narrat Cyclops apud Theocritum (2), ipsum captum fuisse amore Galateae eo ipso die, quo cum sui matre ad ipsum venerat hyacinthina folia decerptura. Tum etiam inferius matri conqueritur, quod nihil umquam grati ad illam pro se dixerit (3).

TAB. EADEM.

FIG. II.

OCEANUS ET AMORES LUDENTES.

CAput Oceani, barba, capillisque madidis insigne, undis ex eo usquequaque proflentibus, heic conspicitur. Iam superiori Volumine (4) Protomam Oceanum hoc pacto referentem innuimus. Amores hinc inde delphinis equitantes insuper cernas, de quibus repete, quae ad superiorem Tabulam adnotavimus (5).

TAB. XII.

FIG. I.

VENERES ET NYMPHAE MARINAE.

TRes heic occurrunt vel Veneres, vel Nymphae, delphinis vectae super undas, quibus velum ad auras expansum caput superne ambit. Amorculi hinc inde ludunt, vel Nympharum vela captantes, vel delphinorum caudis insistentes, vel ad Tritones, quorum unus turbinem, sive buccinum manu tenet, alter citharam pulsat, alter spatham, sive navis gubernaculum sustinet, quartus dimidia sui parte dumtaxat conspicitur. Tot sunt nomina Nympharum ma-

(1) *Numinum, & Heroum Origines pag.* 77.
(2) *Ibid. vers.* 25., & 26.
(3) *Ibid. vers.* 67.
(4) *Vid. ad Tab. I. Fig. I. pag.* 3.
(5) *Fig. III.*

maris, ut quae noſtris nunc aſſignentur, non facile pateant. Si in Tritone citharaedo, ac ſene lubeat Arionem, vel Nereum vatem agnoſcere, nos minime repugnabimus.

TAB. EADEM.

FIG. II.

VENERES ET NYMPHAE MARINAE.

Concha incluſa cernitur defuncti alicuius viri imago, quae ſuperne a duobus Tritonibus, inferne vero a Genio capite, & manibus ſuſtinetur, & veluti ad caelum attollitur, poſtquam marinis undis lota reatus omnes repurgaverat. Iam nos alias monuimus, id olim apud Ethnicos obtinuiſſe, ut criminum expiationes per elementa aeris, ignis, & aquae praeſertim fieri cenſerent. Hinc Virgilius (1):

. . . . Aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ita etiam a nudo ſene barbato, & pectore tenus expreſſo, quem Caelum cenſuit Cl. Paſſerius, capite, & utraque manu ſubmiſſa titulus ſepulcralis C. IVLI. VNIONIS in altum attollitur in marmoreo Cinerario Peruſiae effoſſo, ac dein in Vaticanum Clementinum Muſeum illato (2). Praeter Tritones defuncti imaginem ſuſtinentes, etiam duo alii ad latera ſpathis, & buccinis inſtructi, tum quatuor marinae Nymphae eorumdem Tritonum caudis inſidentes habentur, quarum duae priores velo ſupra caput obteguntur, ceterae vero carent. Tritones anterioribus pedibus equinis heic exſtantibus donantur, cetera membra piſcium ſunt. Vide etiam Tritonis figuram apud Ovidium Meziriacianae editionis (3). Forte ad hoc Anaglyphum reſpexit Winckelmannius, cum ex Matthaeianis Monumentis Tritones buccinas inflantes commemorat (4); Nullibi enim, quam hoc loco, exſtantiores habentur. Amorculi tandem cum delphinis ludentes natant inferne in undis.

TAB.

(1) *Aeneid. VI. verſ.* 740.
(2) *Vid. de Marmoreo ſepulcrali Cinerario Peruſiae effoſſo &c. Coniecturae Ioh. Baptiſtae Paſſerii &c. Romae* 1773. §. *VIII. pag. XXVII.*
(3) *Tom. II. pag.* 181.
(4) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Part. II. Cap. II. pag.* 137.

TAB. XIII.

METROPOLIS CUM DIIS TUTELARIBUS.

STat desuper senex scopulo insidens, caput arundinibus, sive populeis frondibus cinctus, dextera manu aquam ex urna fundens, cornucopiae sinistra gerens, pallio ad femora tectus, cetera nudus. Fluvium nempe heic agnoscas Urbis nescio cuius maenia abluentem, quam heic nunc cernas expressam sub mulieris inferne sedentis figura, quae caput habet galeatum, ex quo potissimum Metropolis dignitas se prodit, quaeque modio, seu vasi manum admovet, & stola superne amicitur. Inter fluminis undas Nympha seorsim iacet, ut pote earum una, quae fontibus, & aquis praeesse putabantur. Stant dein Numina tutelaria Civitatis, quorum prius Mars galea, & hasta armatus, dein Mercurius nudus prorsus, ac petaso, crumena, & virga instructus, tum Apollo sedens, & citharam pulsans tetrachordem, sive pentachordem, quam forte memorat Vir Cl. Franciscus Blanchinius (1), veluti expressam in Anaglypho Villae Matthaeiorum, Poetam ad lyram canentem ex sua sententia praeferente. Pone sequitur Minerva stolata, & galeata, atque in ima parte iacet Oceanus hippocampo, sive marino equo insidens, in quem flumen occulto cursu ingreditur, cuique proxime adiacentes apparent Nereides, sive Oceanitides, Thetyos, & Oceani filiae, vel aliae quaequumque marinae Nymphae. Gemini heic vultus insuper se produnt lauream capite gerentes, qui forte Poetas nobis exhibent vel cives, vel laudatores expressae heic Metropolis. Forte & Musa aliqua non longe ab ipsis, & ab Apolline heic conspici facile possit. Tandem populum in genua provolutum vides tutelaria Numina reverentem, ac felicitatem ipsis partam comprobantes. An etiam alicuius Urbis tutelarium Deorum in eiusdem oppugnatione evocatio, quae certo carmine & a Vatibus, & a Civibus peragatur, & de qua pro dignitate disseruit Castus Innocentius Ansaldius (2), aliorum sit omnino iudicium.

(1) *De tribus generibus Musicae veterum inflatile, tensile, ac pulsatile pag. 35. Tom. II. Romani Musei, opera, & studio Mich. Angeli Causei.*

(2) *De Romana Tutelarium Deorum in oppugnationibus urbium evocatione Liber singularis, secundae edit. Venetae anni 1753.*

TAB.

TAB. XIV.

FIG. I.

AMORES DEORUM VICTORES,

Cto heic se produnt Genii, sive Amores aligeri, Numinum symbola varia gestantes, ut partam de illis victoriam significent. Primus papilionem gerere videtur, alter malleum, & forcipem, tertius hastam, quartus facem, quintus pomum, & leoninam pellem, sextus columnae incumbens fulmen, septimus lyram, octavus denique falcem; ut nimirum voluptates, & libidines designentur Amoris cum Psyche, Vulcani cum Venere, Martis cum Venere, vel Bistonide, Bacchi cum Ariadna, Herculis cum Iole, Deianira, & Omphale, Iovis cum Iunone, Europa, Danae, ceterisque, Apollinis cum Daphnide, & Leucothoe, & Saturni denique cum Vesta, & Opi. Nonnulla ex his symbolis admodum incerta nos divinantes fecerunt; quare qui veriora statuerit, nos non repugnantes habebit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

AMORES DEORUM VICTORES.

Arcophagum heic habes a duabus alatis Sphingibus sustentatum, qui quinque inscupltos exhibet in fronte Genios alatos, Deorum symbolis pariter instructos. Primus crumenam ostentare videtur, alter arcum, tertius lyram, quartus hastam, & quintus nebridem; ut proinde si haec vere expressa habeantur, cum attrita admodum sint, non aegre Mercurium, Herculem, Apollinem, Martem, & Bacchum amore captos deprehendas.

TAB. XV.

FIG. I.

AMOR ET PSYCHE.

ALlegoricae Amoris, & Psyches nuptiae heic habentur; nec deest altera Psyches figura papilionis alis pariter donata, quae cur bis heic inducta fuerit, non facile dixerim. Sequuntur Amores duo simil iuncti, qui forte & Ἔρως, & Ἀντέρως dici possent, quorum unus aureo spiculo ad conciliandum, alter plumbeo ad pellendum amorem instructus fingebatur. Posterior filius Martis, si Ciceroni (1) fides, habitus est. Forte etiam Amor, & Himerus heic censeri possent, siquidem ab Anacreonte (2) iunguntur

Δολερὸν νόον μερόπων
Ἔρως, Ἵμερος γελῶντες.
Dolosi iuvenili vultu
Amor, Himerus ridentes.

Tum etiam ab Hesiodo (3) Himerus praeter Amorem agnoscitur:

Τῇ δ' Ἔρως ὡμάρτησε, καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλός.

Hanc (Venerem) *vero comitatus est, & Cupido sequebatur pulcher.* Prope arbor surgit pomis onusta, quibus Amores delectentur.

TAB. EADEM.

FIG. II.

AMOR ET PSYCHE CUM GRATIIS.

BIs repetitos heic videas utraque parte Amoris, & Psyches amplexus, adstantibus utrobique duobus Geniis, & duobus insuper vasibus, floribus, & pomis refertis, humi iacentibus. Medium locum tenent tres Gratiae, quarum quae media est, posticam partem exhibet, & alias antica parte conspicuas amplexatur; hae vero Geniolos alatos manu tenent. Velum, seu linteum retro expansum cernitur, quod abductum fingitur, ut earum nuditas detegatur, quodque promptum sit, si eam lubeat, rursus abscondere. Gratiae vero, quae

(1) *De Nat. Deor. Lib. III. cap.* 23.
(2) *Od. LI. vers.* 25.
(3) *Theog. vers.* 201.

quae Graecis Χάριτες, tres erant, nempe Ἀγλαΐα, Εὐφροσύνη, Θάλεια, ἢ Πασιθέα. Prima enim Aglaia eſt nobis quaſi maieſtas, ſeu venuſtas, honeſtaſve; altera Euphroſyne eadem ac hilaritas, iucunditas, laetitiaque; tertia demum Thalia, nempe feſtivitas, lepiditas, & concinnitas, quae & alio nomine Paſithea, quaſi undique divina dicta eſt, quae ſcilicet maieſtatem, hilaritatem, ac lepiditatem in ſeſe, & alias quoque complicet. Hanc, quae media eſt, & ſocias amplectitur, facile agnoſcas. Ipſae autem, ſi Heſiodo (1) fides, ex Iove, & Eurynome progenitae ſunt. Hoc Anaglyphum cernas etiam a Montfauconio adductum (2), apud quem complura alia Pſyches fabulae exemplaria, & ſymbola occurrunt (3).

Tab. XVI. et XVII.

M U S A E.



Celebris eſt Sarcophagus Hortorum Matthaeiorum Muſas referens, quem Sponius (4), & Montfauconius (5) iamdiu publici iuris fecerant, & cuius alii plures meminerunt, ut infra patebit. Nos minime nunc ſolliciti de Inſcriptione *A. Pinarii Anterotis*, quam temere eidem ſuperimponit Sponius, monumenti explicationem aggredimur. Duabus Tabulis Sarcophagus a nobis exhibetur, ac anterior frons Tab. XVI., latera vero Tab. XVII. repraeſentantur. Quinque Muſas anterior facies continet, quarum prima Clio videtur, quae citharam ſiniſtra, plectrum dextera tenet, quo citharam pulſet. De ea ait Callimachus:

Κλειώ καλλικόρου κιθάρης μελιηδέα μολπήν.

Clio dulciſſonae citharae modulamina promſit.

Auſonius vero (6):

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.

Haec Hiſtoriae praeeſſe putabatur. Altera quae ſequitur, Melpomene eſt Sponio Tragoediae inventrix, quae idcirco larvam ſiniſtra tenet, dextera, quae temporis iniuria periit, clavam, ut cernere eſt in Nummo familiae Pomponiae apud Urſinium, ceteroſque. Hinc Auſonius:

Melpomene tragico proclamat maeſta boatu.

At

(1) *Theogon. verſ.* 907.
(2) *Antiq. Expl. Tom. I. Par. II. Tab. CXX. pag.* 192.
(3) *Ibid. Tab. CXXI.*, & *CXXII.*
(4) *Miſcell. erud. antiq. Sect. II. art. IX. pag.* 44.
(5) *Antiq. Explic. Tom. I. Part. II. Tab. LVI. pag.* 112.
(6) *Edyll. XX.*

At Montfauconio Euterpe eſt, cui & Tragoediae inventionem tribuit, ut & alibi etiam docuit, & nos infra monebimus. Tertia Terpſichore Sponio eſt, quae duplicem tibiam geſtat, quae tamen pſaltriam a nonnullis inveniſſe dicitur. Aſt calamos Ovidius eidem tribuit, dum ait:

Grataque Terpſichore calamos inflare paravit.

Tibiam etiam ex Antiquariorum ſententia [1] Terpſichore habet in Nummo Pomponiae gentis. Ceterum Terpſichori citharam tribuit Auſonius:

Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget.

Hanc etiam nonnulli choreis praeeſſe affirmarunt [2]. Quarta Thalia procedit, Comoediae inventrix, larvam comicam dextera habens, de qua ſic Auſonius:

Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.

Quinta Euterpe eſt Sponio, quae tamen tibias inveniſſe dicitur, eaſque revera eidem tribuit Horatius [3], & ipſe Auſonius, dum ait:

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.

Ceterum Montfauconius heic Melpomenem ſtatuit, qui nimirum etiam Euterpem agnovit in altero Anaglypho, in quo Muſa columnae innixa cernitur cum perſona ſcenica, ſive larva [4], eo quod de ea Callimachus dixerit:

Εὐτέρπη τραγικοῖο χόρου πολυηχέα φωνήν.

Euterpe chori tragici reſonabile carmen.

Aſt Sponius pro re ſua urget Poetam, iuxta quem Euterpe *dulce concentu barbita movit*; nec aliud eſt barbiton, quam citharae ſpecies, quam heic Muſa plectro pulſat. Iam nos alias [5] monuimus, Clariſs. Praeſulem Franciſcum Blanchinium [6] Sponio obiicere, male ipſum ex Avieni carmine Euterpi barbiton tribuere, cum Horatius eidem tibias tribuat, barbiton vero, ſive lyram, aut etiam citharam Polyhymniae [7]. Verum de hac cithara nunc nobis verba facienda ſunt, utpote quae inſignium Scriptorum illuſtrationibus inclaruerit. Quare citharam in hoc Sarcophago expreſſam memorat, & adducit Clariſs. Paſſerius apud Donium

(1) *Iſtitutione antiquario-numiſmatica Lib. I. Cap. IX. §. I. pag.* 123.

(2) *Schol. Apollon. Argon. Lib. III. verſ.* 1. *Tzetz. in Heſiod.* Ἐργ. A. *pag.* 7. A.

(3) *Carmin. Lib. I. Od. I. verſ.* 32.

(4) *Palaeogr. Graec. Lib. II. Cap. VII. pag.* 171., ubi refert Graecam Epigraphem M. Sempronii Nicocratis Muſici, Poetae, Citharoedi, tum etiam Mercatoris formoſarum mulierum, qui corpus ſuum Muſis hinc inde inſculptis cuſtodiendum commendavit. Hanc indiligenter a Fabrettio relatam ex Cl. Guillelmi Boniourii fide emendat, & interpretatur Montfauconius.

(5) *Heic Tom. II. Claſſ. IX. Tab. LXIV. Fig. I. pag.* 86.

(6) *Apud Cauſeium Roman. Muſ. Tom. II. Sect. IV. p.* 38.

(7) *Carmin. Lib. I. Od. I. verſ.* 32., *tum ibid. Od. XXXII. verſ.* 3.

nium *de Lyra Barberina* [1], rurſuſque ad eam provocat in Diſſertatione *de Muſica veterum Etruſcorum* [2], ut oſtendat iugum citharae volubile eſſe, in cuius extremitatibus anſae conſiſterent, tum artificium proderet, quo in ima parte citharae verſatile hoc lignum conſiſteret cum extima rota, ut manus ſiniſtra facillimo motu tonum mutaret, ac demum ſtatueret, invertendae citharae rationem Tuſcorum inventum fuiſſe, ſeroque admodum ad Romanos perveniſſe, cum apud eos nullum antiquius exſtet monumentum hoc ipſo Sarcophago, cuius opus Antoninorum aetati tribuitur. Inſuper laudatus Paſſerius apud Donium [3] advertit in huius Sarcophagi cithara ancones ante cornua impoſitos, utpote qui eorum ſummitatibus adhaererent, cum ad imum divaricarentur, ac longius diſcederent. Tandem de ea rurſus [4] ſermonem inſtituit, ut evincat non ἀπροσδιονύσως a multis magadem uſurpari pro ea tenui tabula, quae echeum, vel teſtudinem organorum obtegit, cum huiuſmodi tabella paullo latiuſcula obſervetur in noſtro Sarcophago, ac proinde neceſſe fuerit paullulum ſaltem eminente crepidine fuiſſe marginatam, quam ſola fides tangeret, & ſecaret, ne confuſum, atque indiſtinctum ſonum ederet, ut ſane edidiſſet, ſi totam magadis latitudinem contegiſſet. Quare ſubdit, ſe animadvertiſſe in margine marmoreae huius citharae magadem ſubter excavatam eſſe, quae cavitas, erecta eo modo cithara, ſurſum aſpicit; ex quo ipſe arguit, ſub magade orificium fuiſſe, quo echeum admitteret ſonum, ac remitteret ampliorem, quod tamen in eo ſinu non neceſſe habuerit Statuarius exprimere; atque ita uſum magadis hunc praeterea fuiſſe, foramen ſcilicet echei protegere a pulvere, & ſordibus, cum nondum levi craticula, ut hodie fit, id efficere didiciſſent. Haec fere ad verbum ex Paſſerio recitavimus. Citharam hanc etiam illuſtrat Clariſs. Praeſul Franciſcus Blanchinius [5], qui per eam tres modos compendioſius ſtatui potuiſſe facile coniicit, tum per eam rurſus ſtatuit [6] conciliari mirifice Athenaei ſententiam de triplici heptachorde, unicum in organum, aut citharam, ſeu barbiton compacto, & intelligi etiam poſſe pſalterii, magadis, lyrae, & triangulorum muſicalium, ab Athenaeo ex Apollodori epiſtola ad Ariſtoclem memoratorum figuram, & affinitatem huiuſmodi

(1) *Tom. I. Cap. IV. pag. 28. edit. Florent. anni 1763. Tab. V. num. 2., & 7.*
(2) *Tom. II. Pict. Etruſc. in Vaſculis pag. LXXXIII.*
(3) *Loc. cit. Cap. V. pag. 31.*
(4) *Ibid. Cap. V. pag. 33.*
(5) *Loc. cit. apud Cauſeium Roman. Muſ. Tom. II. Sect. IV. pag. 36. Tab. V. num. 11.*
(6) *Ibid. pag. 37., & ſeq.*

modi inſtrumentorum. Muſa enim heic ita barbiton tenet, ut, ſiniſtro brachio organum hoc quaſi complexa, manus laevae digitis carpat chordarum longiorum ordinem in poſtica organi parte extenſilium: dextera vero manus plectro armata ita applicatur interioribus fidibus barbiti, ut ordinem duplicem pulſare poſſe videatur, alterum ſuperne extenſilem in horizontali ſuperficie magadum, alterum inde penſilem, & ad internam baſim, ſeu βατῆρα protenſum, licet chordae in hac ſculptura non ſint expreſſae. Organi ſiquidem conformatio (ipſius Blanchinii verba nobis uſurpantibus), tum etiam manuum poſitus eaſdem ſatis indicat. Sequuntur nunc laterales Sarcophagi partes, quae Tab. XVII. expreſſae ſunt, & quarum ſingulae duas Muſas exhibent, viro intermedio. Nunc vero Muſas dumtaxat indicabimus, viros poſtremo illuſtraturi. A ſiniſtra facie initium ducemus, cum caelator ipſam primo loco ſtatuerit. Quare ſexta, quae primum heic occurrit, Urania apparet ex globo cum virga, quem oſtentat, & intuetur, utpote quae Aſtronomiam invenerit. Hinc de ea Auſonius ait:

Urania caeli motus ſcrutatur, & aſtra.

Hanc nos alibi [1] in Signo marmoreo expreſſam produximus, & illuſtravimus. Septima, quae ſuccedit, Erato eſt Sponio, Elegiarum nempe inventrix, aut etiam Muſicae, quae nimirum caput cubito ſuſtentat cogitabunda, ut ſuam meditetur Elegiam. Aſt ea ab Auſonio deſcribitur:

Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.

Octava, quae primo loco in altera, ſive dextera parte Sarcophagi inſculpta eſt, Calliope eſt Sponio, quam ait depinxiſſe veteres volumen manu tenentem, utpote quae & ſcientiis praeeſſe, & verſus heroicos docuiſſe crederetur, iuxta Auſonium:

Carmina Calliope libris heroica mandat;

tum iuxta vetus Epigramma Graecum:

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὕρεν ἀοιδῆς.

Calliope artem heroici carminis invenit.

Ceterum Muſa haec, quaecumque ea ſit, pugillarem heic geſtare videtur, quem agnovit etiam Laurentius Pignorius [2], qui pugillarium formam deſcribens oblongam, & quadratam eminenti quadam margine circumcirca concluſam, ipſam deſignat Romae in veteri arca ſepulcrali ad Hortos Cyriaci Matthaeii. Pugillarem bipatentem ex Fabret-

tii

(1) *Heic Tom.I. Claſſ. II. Tab.XXXII. pag. 26.* (2) *Commentar. de Servis Cap. XV. pag. 111. edit. Patav. ann. 1694.*

tii Inſcriptione [1] edidit etiam Montfauconius [2]. Alterum etiam exhibet Inſcriptio Chriſtiana in Caemeterio Gordiani reperta, quam refert M. Antonius Buldettius [3], in qua graphium, & pugillaris inſculptus eſt. Heic poſtremus ita conformatus eſt, qualis ab Auſonio [4] deſcribitur, ſcilicet *bipatens*, & conſtat duobus foliis, tum etiam pendentibus ligaculis inſtructus eſt, quibus occludatur, ne litterae ſtilo ſuper ceratis tabellis, plumbo aut etiam lapidi cuidam nigro, cui *ardaeſia* nomen, ſeu atramento ebori, aut membranis inſcriptae vitiarentur. In hoc pugillari veſtigia aliquot litterarum adhuc ſuperſunt, quae tamen haud conſpicua ſunt. Qui in hac Inſcriptione deſignatur MARTINVS. IN. PACE., vel ſcriba erat, vel TABVLARIVS. OPERIS. PVBLICI., ut in alia ethnica Inſcriptione legitur, quam heic adducit Buldettius [5]; niſi etiam agnoſcere in ea lubeat tabularium, ſeu deſcriptorem nominum eorum, qui vel martyrio, vel in fide decederent. Pugillares memorantur etiam in Inſcriptione apud Gruterium [6], ſiquidem in Foro Regino Calabriae Civitatis haec exſtat, & in ea *Ti. Tarfernius* (ſive *T. Ervenius*) *Sabinus* Municipibus Reginis legat teſtamento in templo Apollinis maioris PVGILLARES. MEMBRANACEOS. OPERCVLIS. EBOREIS. Hanc Inſcriptionem attulit etiam nuper Ioſephus Moriſanius [7] de patriis antiquitatibus benemerentiſſimus, qui, ut ipſam illuſtret, de pugillaribus plura ſcitu digna conſcripſit [8]. De his videnda etiam, quae habet Vir Cl. Ioh. Chryſoſt. Trombellius [9], quaeque etiam nuperrime corraſit Vir alter eruditiſſimus Ioh. Baptiſta Blanconius in Bononienſi Academia Graecarum litterarum profeſſor [10]. Sed iam ad Muſarum chorum redeamus, quem claudit Polyhymnia, quae Rhetoricam inveniſſe dicitur, quaeque Lyricae Poeſi praeeſſe etiam cenſetur, ut pote quae ab hymnis concinendis ita fuerit denominata. Idcirco Auſonius de ea ſic ait:

Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.

Quare heic etiam recte cernas Muſam volumen, in quo vel oratio, vel carmen lyricum exſcriptum ſit, ſiniſtra manu tenentem, dextera vero

(1) *Inſcript. Cap. III. pag.* 206.
(2) *Antiq. expliq. Tom. III. Supplem, Lib. IX. Cap. V. §. VII. pag.* 219.
(3) *Oſſervaz. ſopra i Cimiteri de' SS. Martiri Lib. II. Cap. II. pag.* 32.
(4) *Epigr.* 137.
(5) *Loc. cit. pag.* 331.
(6) *Inſcr. antiq. pag.* 174. *num.* 7. *Vid. & Fabrett. p.*619.
(7) *Inſcript. Reginae, Marmor., & Diſſert. VI. pag.*266.
(8) *Ibid. §. XI. pag.* 292., *& ſeqq.*
(9) *Arte di conoſcere l'età de' Codici Latini, ed Italiani Cap. VIII. pag.* 38., *e ſegg.*
(10) *Oſſervazioni ſopra un Dittico Conſolare §. VIII. pag. XXIX.*, *e ſeg.*

vero geſtientem. Nos quidem ſuperiore Volumine [1] Muſam citharistriam Polyhymniam appellavimus, Horatii, & Blanchinii auctoritate ducti; aſt heic Sponianas denominationes invertere non libuit, cum eam difficultatem, quam ex uno loco amoveremus, maiorem dein in alterum relabi videremus, quando varia, & incerta nimis ſunt & ſymbola, & attributa, quae ex ſcriptorum, & monumentorum teſtimoniis Muſis aſſignantur. Nunc ad primam lateris faciem revertendum eſt, ut virum, qui inter binas Muſas conſiſtit, illuſtremus. Hic ex clava, cui manibus incumbit, Herculem ſe prodit, atque Hercules Muſarum, ſive Muſagetes plus innotuit, quam ut nunc a nobis pluribus innuatur. Notus eſt Nummus IV. Pomponiae gentis apud Urſinium, in quo HERCVLES. MVSARVM legitur; notae *Aedes Herculis Muſarum* apud Svetonium [2], βωμὸς Ἡρακλέους, καὶ Μουσῶν, *ara Herculis, & Muſarum* apud Plutarchum [3], notus tandem ΗΡΑΚΛΗΣ. ΜΟΥΣΑΓΗΤΗΣ *Hercules Muſagetes* apud Gruterium [4]. Verum de eo pluribus iam egimus in noſtris prima aetate elaboratis adnotationibus ad *Veſtigium veteris Romae* a Bellorio primum editum, & a nobis recuſum, ubi contra Harduinium plura diſſeruimus [5]. Stat heic Hercules togatus, non nudus, ut honeſtiori habitu inter Muſas converſetur. Inter Calliopem, & Polyhymniam ſtat vir alter, qui Sponio incertus eſt, ut proinde animi pendeat, an Iovem, cuius filiae ex Mnemoſine Muſae ferebantur, ſtatuat, an Herculem ipſum rurſus avocet. Cur vero non aliquem inter Graeciae vates celebriores, & vetuſtiores liceat potius heic inducere, Linum, Orpheum, vel etiam Homerum? Forte hic Sarcophagus, qui a duobus leonibus ſuſtentatur, Muſiſque potiſſimum in eo inſculptis diſtinguitur, alicuius Poetae cineres condere potuit. Hic praeter Sponium, & Montfauconium a Venutio etiam allatus eſt [6], & a Ioh. Chryſoſtomo Scarfoio memoratur [7]. Neque deſunt alii huiuſmodi Sarcophagi, Muſarum figuris inſculpti, atque inter ceteros primas tenet ille, qui cernitur in templo S. Mariae Aventinae Equitum Hieroſolymitanorum, in quo & novem Muſae, & inter eas Minerva, & vir fato functus, forte vates aliquis celebris, tum ab uno latere

Pytha-

(1) *Heic Tom. II. Claſſ. IX. Tab. LXIV. Fig. I. pag. 86.*
(2) *In Aug. Cap. 29.*
(3) *Quaeſt. Roman. 59.*
(4) *Inſcr. antiq. pag. 48. num. 8. Vid. & pag. 1700. num. 5.*
(5) *Tab. II. pag. 14., & 15. adnot. 24., 25., & 26.*
(6) *In Collectan. Antiq. Roman. edit. Anton. Borioni, ad num. XLVII., & XLVIII.*
(7) *Obſervationes Criticae in Collectanea ſupraſcripta pag. 33.*

Pythagoras caeleſtem globum contemplans, ab altero Homerus cum ſuis poematibus expreſſus eſt. Hic a Ficoronio [1] potiſſimum deſcribitur, aliiſque Romanarum antiquitatum ſcriptoribus. Alterum, capitibus Muſarum, quibus ornatur, foede truncatis, antiquum Sarcophagum cernere nunc eſt ad Divi Gregorii in Clivo Scauri, qui, figuris ad humum converſis, ad ſcalae gradum conſtruendum malo fato adactus tandem ab ignominia, & conculcatione vindicatus in lucem adductus, eſt a Viro Clariſs. Andrea Iohannettio Gregoriani Monaſterii Abbate, quem Imerienſem Epiſcopum, & Metropolitanae Eccleſiae Bononienſis Adminiſtratorem nuper renunciatum gratulamur. Tum ſepulcrum aliud, in quo Muſae ſculptae erant, exſtabat olim in Caſtro Sancti Ediſti ad radices Soractis, de quo cautum fuerat in Conventu Monachorum Caſinenſium Mantuae habito anno CIↃIↃXXXII., ut eius ſecuritati Abbas Sancti Pauli naviter proſpiceret; ſed nunc, in irritum ceſſis huiuſmodi curis, teſte Viro Cl. Petro Aloyſio Gallettio [2], illud ibidem deſideratur, & quo aſportatum fuerit, ignoratur. Cetera Muſarum imaginibus inſculpta monumenta quid iuvat referre? Conſule tamen, ſi lubet, quae affert Montfauconius ex Maffeio, & ex Xyſto Iuſtinianeo [3]. Unum addam, quod memorat Plinius [4], Achatem nempe, quam habebat Pyrrhus Epirotarum Rex, qui tertio ante aeram Chriſtianam ſaeculo adverſus Romanos bellum Tarentinum geſſit, & in qua novem Muſae, & Apollo citharam tenens ſpectabantur, *non arte, ſed ſponte natura ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.*

TAB. XVIII.
GENII.


Armor hoc eleganti corona ornatum exhibet binos Geniolos aligeros, armatos baculis, quibus ipſi poma ex arbore deiicere adnituntur. Malus Cydonia heic apparet, forma fructum ita ſuadente. Poma erant Amoribus grata, noſque alibi [5] Amorem malum Punicum dextera gerentem adduximus, ubi Venutius ea de re nonnulla adnotavit.

TAB.

(1) *Le Veſtigia di Roma antica Lib. I. Cap. XII. pag.* 79.
(2) *Capena Municipio de' Romani pag.* 24.
(3) *Antiq. Explic. Tom. I. Par. I. Lib. III. Tab. LIX. n.* 1. *pag.* 114., *& ibid. Tab. LX. num.* 1., *&* 2. *pag. ead.*
(4) *Hiſtor. Natur. Lib. XXXVII. Cap. I.*
(5) *Tom. I. Claſſ. I. Tab. XV. pag.* 12.

TAB. XIX.

FIG. I.

BELLUM GIGANTUM.


Errae, caelique ſanguine creti Gigantes heic occurrunt, quorum unus draconis pedibus, & oris, totiuſque corporis habitu formidabilis, atque ingentibus lapidibus armatus adverſus Iovem bellum inſtituit, ut eum de caeli poſſeſſione deiiceret. Duo alii humana figura praediti, lapidibuſque inſtructi idem exercent praelium. Adſtant hinc inde arbores, ut pugnae locus in Phlegraeis campis prope Campaniam deſignetur. Rupes, & montes hinc inde ſurgunt, qui ex ſaxis ab ipſis in caelum iactis, & dein in terram relapſis efficiebantur. Apollo ἀργυρότοξος *argenteum arcum gerens* telis impietatem ipſorum caſtigat; Ceres ipſis facibus, quas forte ex Aetnae ignibus inflammaverat, illos invadit; cum nimirum in fabulis ſit, Deorum omnium armis ipſos internecione deletos fuiſſe. Serpentes, & canem quinetiam cernere eſt heic expreſſos, quod nempe ex Gigantum ſanguine in terram fuſo & ſerpentes, & cetera animantia venenata, & rabida prodiiſſe ferant.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CASTOR.


Ovis, & Ledae filius Caſtor equorum domitor heic ſtat, manu equi lora tenens, & armatus enſe, & haſta. *Caſtor gaudet equis*, ait Horatius (1); nobiles enim victores, qualis fuit Caſtor, dicebantur ἱππόδαμοι *equorum domitores* (2). Galeae ſuperſtat ſidus, quia ipſe, & Pollux frater *ovo prognatus eodem*, in caelum translati, & in ſidera converſi fuerunt, quae dein fauſta, & ſalubria navigantibus credebantur. Hinc Horatius (3) laudat geminos *pueros Ledae*,

Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem, quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.

Ad-

(1) *Sermon. Lib. II. Serm. II. verſ.* 26.
(2) *Pindar. Nem. IV.* 48.
(3) *Carmin. Lib. I. Od. XII. verſ.* 25., & *ſeqq.*

Adſtant hinc inde Genii, & inferne iacet Fluvius, prope quem ſurgit arundo paluſtris, & cernitur canis neſcio quid rodens. Quid haec ad Caſtorem, non plane aſſequor.

CLASSIS III.

QUAE CONTINET

BACCHANALIA.



TAB. XX.

FIG. I.

POMPA BACCHICA.

MYſta aliquis ſuccinctus, velato capite, ſitulam dextera gerit, & lancem vel ovis, vel ficubus plenum ſiniſtra. Ova in Bacchanalibus adhibebantur, & praeſertim in luſtrationibus, quod antiquae puritatis ſymbolum eſſent. Hinc vetulam eadem praeferentem inducit Ovidius (1):

Et veniat, quae luſtret anus, lectumque, locumque,
Praeferat & tremula ſulphur, & ova manu.

A Plutarcho (2) vero inducitur in hac pompa etiam aliquis ἰσχάδων ἄρριχον κομίζων, *calathum ficubus plenum geſtans*. Sequitur Satyrus nebride obtectus tibiam inflans. Tum venit Centaurus thyrſo armatus, quod eos Bacchus viciſſet (3), & prope eum tigris Baccho ſacra. Agmen claudit Faunus nebride cinctus, qui amphoram, ſive vas aquarum gerit, quandoquidem, teſte Plutarcho (4), καὶ τῶν ἱερῶν αἰεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ, *ante ſacra, in pompa ſemper praecedit vas aquarum in honorem Dei*.

(1) *De arte amandi II. 329.*
(2) *Lib. περὶ φιλοπλουτίας.*
(3) *Virgil. II. Georgic.*
(4) *Lib. de Iſide, & Oſiride.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

POMPA BACCHICA.

Silenus, vel Faunus ſenex tympanum pulſat. Bacchans armata thyrſo, anguem circa brachium gerens caput iactat, atque ita furorem, quo agitatur, exſerit. Brachia nimirum, & caput Bacchantes ſerpentibus cingebant, etſi quandoque non veri ſerpentes, ſed ex pelle eſſent. Hinc Catullus (1):

Pars e divulſo iactabant membra iuvenco,
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Hinc etiam Euripides (2) ait Iovem, poſtquam peperiſſet ex femore Bacchum, ipſum coronaſſe δρακόντων στεφάνοις, *ſerpentum coronis*. Et infra (3) ab eo appellantur quinetiam θηροτρόφοι μαινάδες, *ſerpentum altrices maenades*; eaeque inſuper a Clemente Alexandrino (4) innuuntur tamquam ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσιν, *coronatae ſerpentibus*. Tandem Arnobius (5) Ethnicos increpans de Bacchanalium celebratione ait: *circumplicatis vos anguibus*. Vides inſuper Baccham ῥιπταυχένην, *iactantem cervicem*, ut vocat Pindarus. Scilicet etiam ex Iuriſconſulto (6) perſpicuum eſt *fanaticos caput iactaſſe*. Atque in hac capitis iactatione crines effundebantur, quod eos Baccho alere conſueverant, teſte Euripide (7):

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω,
Sacer capillus, Deo ipſum nutrio,

& Virgilio (8) quinetiam teſte:

Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.

Sequitur Sacerdos, ſeu Myſta ſuccinctus cum ferula, cui lynx Baccho ſacra veluti adſilit, tum fune ligatum tenet caprum, quem etiam Faunus, utrem vino plenum ſupra dorſum baiulans, cornu prehenſum compeſcit. Caper ſacer erat Baccho tum apud Graecos, tum apud Romanos. Hinc Virgilius (9), poſtquam capras vitibus infenſas dixit, ſic ſequitur:

Non

(1) *In nuptiis Pelei, & Thetidos verſ.* 257.
(2) *In Bacchis verſ.* 101.
(3) *Ibid. verſ.* 102.
(4) *In προτρεπτ.*
(5) *Lib. V.*
(6) *L. I. Digeſt. de aedilitio edicto.*
(7) *In Bacchis verſ.* 495.
(8) *Aeneid. Lib. VII. verſ.* 391.
(9) *Georg. Lib. II. verſ.* 380.

Non aliam ob caussam Baccho caper omnibus aris
Caeditur.

Tum etiam Plutarchus [1] hoc innuit, dum ab eo inducitur in orgiis, qui τράγον εἷλκεν, *caprum trahebat*. Arnobius [2] insuper ita obiurgat gentes: *Caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis*. Heic autem vides caprum cornu tractum, qualem describit Virgilius [3]:

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aras.

TAB. XXI.

FIG. I.

ACCLAMATIO BACCHICA.

CErnis heic bacchas nebribus instructas, quarum una tibiam inflat, altera crinibus passis furorem ostentans tympanum pulsat. Adstant duo Satyri iuvenculi, quorum alter animalculum gerit, quod haud facile agnoscas. Attritum enim marmor est, atque nunc restauratur, ut dein in Vaticanum Clementinum Museum inferatur. Anaglyphum hoc adduxit Antonius Ambrosius, olim ex Loyolitarum familia, in sua Virgiliani operis, & Italicae versificationis editione, quam Romae exactis annis perfecit [4]; ut heic nimirum videas mulieres clamantes *Evoe Bacche*, & *incinctas pellibus*, quae *ventis dant colla*, *comasque*, & *tremulis ululatibus aethera complent* [5].

TAB. EADEM.

FIG. II.

BACCHANTES.

VIdes heic feminas orgia celebrantes, sed non illas furore percitas, nudas, comam effundentes, & dexterum pedem attollentes, sed potius modeste compositas, elegantibus tunicis indutas, crinibus comptas, laevumquae pedem elevantes. Ipsae nunc manus conferunt, & se se mutuo intuentur. Harum una canem anterioribus pedibus prehensum, & erectum tenet, altera cornu potorium, vel

(1) *Cit. Lib.* περὶ φιλοπλουτίας.
(2) *Cit. Lib. V.*
(3) *Cit. Lib. II. Georg. vers.* 395.
(4) *Ad pag.* 27. *Tom. II. Lib. VII. Aeneid.*
(5) *Ibid. vers.* 389., *& seqq.*

vel quid aliud ſimile habet. Seorſim cernitur Silenus ventroſus, neſcio quid inflans, ſive cornu, ſive tubam, ſive buccinam.

TAB. XXII.

FIG. I.

FAUNUS SILENUS ET SATYRUS.

BAcchi comites heic habes, ac Silenum praeſertim, qui vino madidus ſuſtentatur a Fauno, & Satyro. Silenus caput habet panno religatum, & tympanum gerit ſiniſtra. Faunus riſu, caprinis auribus, cauda, & amphora ad pedes diſtinguitur. Satyrus barba, auribus, pedibuſque caprinis, ac pedo inſignitur. Haec adeo nota ſunt omnibus, ut pluribus non egeant.

TAB. EADEM.

FIG. II.

BACCHUS CUM SUO COMITATU.

IN veterum monumentis ſaepe occurrit Bacchus a ſuis comitibus, ac miniſtris ſuſtentatus. Heic nempe ipſum conſpicis incumbentem Fauno, qui nebride, & pedo inſtructus eſt, ex altera parte vero manu ſublevatum a Bacchante ita induta, ut crus, & femur exſerat, quod veſtimenti genus a feminis uſurpatum non ſemel advertimus. Forſe alia ex Bacchantium choro ea eſt, cuius ſolum conſpicuum eſt caput. Si quis vero Ariadnam heic agnoſcere velit, non repugnabo.

TAB. XXIII.

FIG. I.

QUATUOR ANNI TEMPORA IN BACCHI POTESTATE.

FOrte vir, & uxor heic clypeo comprehenduntur, qui ſepulcrum ſibi commune exſtruxerant. Uſum effingendi in clypeo defunctorum imagines frequentiſſimum apud veteres oſtendunt tot urnae, quae adhuc ſuperſunt, & ſcriptorum loca, quae collegit Cl. Paſſe-

rius

rius in utraque Dissertatione Italica, & Latina de Sarcophago Eugubino [1]. Forte Bacchi cultui, & sacris addicti erant defuncti, qui nimirum Bacchicis symbolis sepulcrum ornari iusserint. Quatuor anni tempora, quae heic exprimuntur, quaeque a Graecis *horae* appellabantur, iuxta Ethnicorum commenta in Bacchi erant potestate, eaque adfigi plerumque urnis omnibus, quae Bacchi cultorum cineres conderent, consueverunt. Sat sit nunc innuere monumentum Sassinatense MARCANAE VERAE positum, & a Gruterio [2], ac Antoninio [3] relatum cum eius metrico lemmate, quo anni tempora defunctae propitia invocantur; atque instar omnium sit praeterea laudatus Sarcophagus Eugubinus, in quo sub adolescentium aligerorum, cirratorum, chlamidulaque indutorum figura quatuor anni tempora repraesentantur, ut Cl. Passerius eruditissime ostendit. Quare cernas heic quinetiam quatuor Pueros coronatos, & chlamidula obtectos, more Deorum, quibus id indumenti aptari solebat, proprie peplum vocatum; quorum primus Ver exprimit, atque idcirco floribus caput cingitur, & cornu floribus plenum ostentat, tum sinistra agnum recens natum, ac pellem alterius sustinet, ad pedes vero aries consistit; alter dein Aestatem praefert, ac proinde caput spicis ornatur, & spicarum manipulum dextera gerit, dorsumque bovis iacentis pede premit: uterque vero Puer pedum adhaesione iungitur; tum tertius Autumnum repraesentat, cuius propterea caput pampinis redimitur, & a dextero ad sinistrum humerum pomorum, vel florum linea insignitur, simulque sinistra racemum tenet, qui nimirum dextera, quemadmodum alter, qui antecedit, sinistra, clypeum defunctorum sustentat; interim forte tigris Baccho sacra pede ab eo premitur; quartus demum Hiemen refert, qui idcirco capite velamentum habet, & veste, ac subligaculis amicitur, tum anseres dextera sustinet, cornuque pomis refertum gerit sinistra, ac tandem ad eius pedes aper dentibus conspicuus reclinatus iacet: ambo vero Pueri sibi proximi uti & superiores, inter se pedes conferunt. Quod vero Baccho quatuor anni tempestatum regimen, ac tutela tribueretur, forte ab Orpheo, seu a quovis alio mythicorum rituum, & arcanorum scientissimo Hymnogra-

(1) *Spiegazione delle Scolture d' un antico marmoreo Sarcofago, che si conserva in Gubbio &c. In Perugia 1773.*, *De Marmoreo Sarcophago Eugubino &c. Epistola in Tomo III. Pictur. Etruscorum in Vasculis ad pag. XXXV.* Vid. & Rinaldum Riposatium *Zecca di Gubbio Tomo II. pag. 429.*

(2) *Antiquae Inscript. pag. 804. num. 5.*

(3) *Delle Antichità di Sarsina &c. Discorso di Filippo Antonini Sarsinate ristampato, ed accresciuto &c. In Faenza 1769. Cap. V. pag. 32.*

grapho, qui Bacchum vocat *ἑλασσόμενον περὶ πάντα volutum circa omnia*, peti potuit, cum & Gyraldius [1] ita ipſum appellatum velit, *quod circa annum volvatur*. Sic enim toti anno dominatur, ſimulque moderatur quatuor illa ſpatia, in quae annus ipſe diſpeſcitur. Quid vero Bacchica ſacra, & ritus cum defunctis commune haberent, iam Scriptorum teſtimoniis proditum ſatis ſuperque eſt. Bacchi ſiquidem ſuffragiis, quae maxima putabantur, defunctorum animas expiari, ſicque expiatas recta in caelum tolli, ſuperſtitione iam receptum erat. Hinc factum eſt, ut ſpe meliore moriendi Bacchicis myſteriis initiarentur veteres, & defuncti quinetiam vel ipſa Bacchi ſymbola ſibi tribuerint, & in urnis quaſi praeſentiſſimae fiduciae, & praeſidii argumentum inſculpi curarent. Quare nil mirum, ſi Saturninus quidam vel ipſam Bacchi figuram aſſumere non dubitaverit, ſeque in Bacchum converſum glorietur in ipſa Graeca epigraphe Sarcophago inſculpta, quam non uno in loco publici iuris feci [2], quaeque ita ſe habet:

ΣΑΤΟΡΝΕΙΝΟΣ . ΕΓΩ . ΚΙΚΛΗΣΚΟΜΑΙ . ΕΚ . ΔΕΜΕ . ΠΑΙΔΟΣ
ΕΙΣ . ΔΙΟΝΥΣΟΥ . ΑΓΑΛΜΕΘΕΣΑΝ . ΜΗΤΗΡΤΕ . ΠΑΤΗΡΤΕ

Saturninus ego ſum nomine: meque puellum
Finxit in effigiem Bacchi materque, paterque.

Praeter anni tempora Baccho ſubiecta, quae in urna hac noſtra deſcripſimus, exſtant quinetiam quatuor Genioli, qui vitis palmitem reclinatum uvis ſpoliant, & uvas inferne pedibus calcant, quod officium in Sarcophago Eugubino gemini Satyriſci obire conſpiciuntur. Quare heic nova Bacchi attributa, quae ipſius cultoribus & conveniant, & opitulentur, agnoſcas.

TAB. EADEM.

FIG. II., ET III.

GENII.



Igura II., & III. repraeſentat Amores, qui nil commune habent cum Sarcophago, eique tantum coniuncti nunc cernuntur, quod caelator hoc loco temere eoſdem ſtatuerit. Quare videas primum Amorem aligerum, & chlamydula amictum, qui racemum ma-

nu

(1) *Syntagm. Deor. VIII.*

(2) *Anecdot. Litterar. Tom. II. in Sylloge Inſcr. veter. anecdot. num. 20. pag. 469., Lettera al Sig. Can. Angelo M. Bandini Tom. V. delle Novelle Letterarie di Firenze 1774. num. 28. col. 438., e ſegg., Efemeridi Letterarie di Roma 1774. num. XXXV. pag. 274.*

nu tenet, & dexterum pedem animalculo superimponit, quod suis figuram praefert, & uvas depascit. Pharetram vero, & arcum arbori suspensum habet. Dein Amorem alium cernas chlamydula pariter obtectum, prope arborem consistentem, virgam dextera manu tenentem, ac sinistrum pedem trunco aptantem, cui dein canis adsilire conspicitur.

TAB. EADEM.

FIG. IV. ET V.

AMOR ET PSYCHE.


Moris, & Psyches allegoricas illecebras, & blandimenta heic cerne, de quibus non iuvat quidquam differere, cum & nos alibi (1) illustraverimus, tum etiam sexcentis aliis in locis insculpta deprehendantur.

TAB. EADEM.

FIG. VI.

AMORES DEORUM VICTORES.

Superius (2) etiam duo alia monumenta adduximus, quibus Amores Deorum spoliis, atque insignibus ornati, ut reportatam de ipsis victoriam innuerent, exprimuntur. Sex Amores heic habes, inter quos Adolescens medius consistit toga indutus, & volumen sinistra tenens, cui forte positus Sarcophagus, horum ornatus figuris. Ramus, quem manu gerit primus, qui occurrit Amor, praeter cornucopiae, quod omnibus commune est, ut communis est chlamydula, forte Silvanum designat, cui cupressini rami gestamen familiare fuit ob Cyparissi pueri amorem, quo flagravit. Panem vero innuit pedum, quod alteri Amori aptatur, hinnulo ad pedes adstante, atque ita amores Lunae, Echonis, Dryopis, & Syringis, quos ipse aluit, indicantur. Tertius lyram ostendens, cervumque Dianae sacrum ad pedes habens Apollinem prodit eius fratrem, qui nimirum Hyacinthi, & Cyparissi, tum & Daphnis, Bolinae, Leucothoes, & Clytiae amoribus inclaruit. Ad Bacchum quartus pertinet, qui racemum sustinet, atque hic

(1) *Vid. heic Tom. II. Tab. LXXXII. Fig. II. pag.* 101., *& hoc Tom. III. Tab. IX. pag.* 17., *& Tab. XV. Fig. I.*, *& II. pag.* 25.

(2) *Tab. XIV. Fig. I.*, *& II. pag.* 24.

hic Ariadnae amorem, quo ille potiſſimum arſit, oſtendit. Forte Amor animalia fecundans, ut hinnulus, quem manu gerit, & bos, qui ad pedes iacet, ſignificat, quinta hac figura exprimi potuit; cui enim Numini, quod iam non adduxerim, haec conveniant, non facile dixerim. Arcu armatus, quo ſagittis feriat mortalium, & immortalium genus, Amor eſt, qui ſexto loco apponitur. Apolline iam deſignato, cui arcus tribui ſolet, ad generale Amoris attributum deſcendere libuit, ne intactam omnino poſtremam figuram relinquerem. Qui meliora deprompſerit, & candidus impertiverit, me gratum habebit.

CLASSIS IV.

QUAE CONTINET

MONUMENTA AEGYPTIACA.

TAB. XXIV.

VIR ET UXOR SACRIFICANTES ISIDI.

ISis morbos depellere cenſebatur, proindeque SALVTARIS in antiquis marmoribus ſalutatur, & qui valetudinem recuperaſſent tabellas ei ſuſpendebant, iuxta Tibullum (1):

. . . . *nam poſſe mederi*
Picta docet templis multa tabella tuis.

Quare heic Romani coniuges voti compotes, Aegyptiaco more, ſacrificium Iſidi perſolvunt. Mulieres praeſertim Iſidis ſacra curabant, quae ut obirent, per decem dies ſecubabant, a virorum concubitu ſe ſe temperantes. Cum veteres conſuetudines rigiditatis tenaces in dies remitterent, hinc factum, ut & viri mulieribus acceſſerint; ac proinde Anaglyphum hoc noſtrum tum hoc nomine, tum etiam ob Romana ſacrificialia veſtimenta Aegyptiacis permixta ſequiorem aetatem praeſefert. Adeſt vir pallio amictus, ſiniſtra acerram, ſeu arculam gerens, dextera thus arae iam accenſae infundit. Sequitur mulier Romanis veſtibus amicta, tunica nempe ſuccincta, & exteriori exomide manicis deſtituta. Aegyptiacos mores redolet apex, ſive pileus ſutilis ſacerdotalis, quem capi-

(1) *Tibull.* 1. 3. 28.

capite gerit, tum zona, quae ab uno ad alterum humerum, & ante pectus pendet. Apex, quo caput ſacerdotum tegi oportebat, & quo heic mulier operta cernitur, modium, vel calathum deſignat, qui quadratus ſaepe in veterum monumentis occurrit. Coronas non defuiſſe Aegyptiis, dum ſacrificarent, teſtantur Svetonius (1), & Paſchalius (2); gemmatumque diadema geſtaſſe Elagabalum Sacerdotem Dei Solis, ex Lampridio, (3), & Herodiano (4) didicimus. Luna falcata apici noſtro ſuperſtat, quae Iſidem praefert; nam Iſis eadem, ac Luna habebatur, ut omnes norunt. Tres inſuper apices in crucis formam ſuperne adſtant, quos Aegyptiorum Hieroglyphicum, litterae Ταῦ figuram praeferens exhibere aſſeruiſſem, niſi aliter me ſentire iuſſiſſent ſchemata, quae in Obeliſcis Romam vectis deprehenduntur, quaeque ſuperiori parte deſtituuntur, eiuſque loco annulo, vel anſula ſuperne donantur (5). Quare potius lemniſcum agnoſcere mihi lubet. Zona, ſeu balteus, cuius ſupra meminimus, lunulis quinetiam, aliiſque ornamentis diſtinguitur, & cirris, ſeu fimbriis villoſis inferne praetexitur. Ceterum zona haec Aegyptiaca Romanam ſtolam ferme aemulatur. Lunulae ad Iſidem pertinent (6), ut dictum eſt; ac ſacrificantibus in uſu erat, ut ſibi ipſis ea aptarent ornamenta, quae eorum Numinibus, quibus inſerviebant, tribuebantur, teſtante Plinio (7), & poſt eum Spanhemio (8). Ita haec mulier propemodum ornatur, ut LIVIA. CHALCEDONICA. ISIDI. DEAE. *Dicata*, Iſidis nempe ſacerdos, apud Muratorium (9), quae iiſdem ornamentis tumulatur, quibus vivens uſa fuerat. Prodit hoc vetus Inſcriptio ex Acci in Hiſpania, quae ita ſe habet:

LIVIA . CHALCEDONICA
ISIDI . DEAE . D
H . S . E
ORNATA . VT . POTVIT
IN . COLLO . H . MONILE
GEMMEVM . IN . DIGITIS
SMARAGD . XX . DEXTRV

Qua-

(1) *In Tit. cap. V.*
(2) *De Coronis Lib. IX. Cap.* 13.
(3) *In eius vita pag.* 164.
(4) *Lib. V. pag.* 503.
(5) *Vid. Lipſium de Cruce Lib.* I. *cap.* 8., *& Cauſinum ad Horum Apollinem, tum Tignorium, Montfauconium, Kircherium, alioſque.*
(6) *Vid. Spanhemium ad Callimachum Hymn. in Del. verſ.* 210.
(7) *Hiſt. natur. Lib. XVI. cap.* 4.
(8) *Vid. Spanhemium ad Callimachum Hymn. in Cer. verſ.* 45. *pag.* 781.
(9) *Pag.* 1991. *num.* 3.

Quare recte animadvertit Muratorius, latentem in ſepulcro fuiſſe Inſcriptionem, ne fures alliceret, hincque facile coniici, quare tot olim ſepulcrorum effoſſores exſtiterint. Scilicet Anconae quinetiam anno CIƆIƆCCLXII. ſepulcrum quoddam detectum eſt, quo cadaver condebatur una cum aurea corona eius capiti impoſita, quae Romam delata eſt, quamque cernere mihi licuit apud Cl. Equitem Franciſcum Victorium τὸν μακαρίτην. Siquidem corona aurea defunctis appoſita olim fuit, teſte Tullio (1), quae & alterius vilioris metalli eſſe etiam potuit; & revera exſtitiſſe, tum ſcriptores, tum monumenta teſtantur (2). Sed ad Anaglyphum noſtrum redeamus. Situlam, ſive vas luſtrale mulier ſiniſtra manu gerit, dextera temporis detrimento obtruncata. Ara tripodis formam referens ad pedes iacet, cui flamma deſuper eminet, qua libationes rite peragantur. Apud Fabrettium (3) quinetiam Anaglyphum cernitur, quo exprimitur femina vas herbis, ac fructibus refertum ſiniſtra ſuſtentans, & dextera veluti quidquam arae impoſitura. Figura haec noſtra *mulieris ſacrificae cum ſtola, & aqua luſtrica* deſignatur a Cl. Mabillonio (4), qui eam in Hortis Matthaeianis advertit, ex quibus nunc migravit in Muſeum Vaticanum Clementinum. Temporis iniuria male habita eſt Inſcriptio, quae ſuperne legebatur, & cuius truncata dumtaxat linea nunc ſupereſt, qua GALATEAE nomen, quo forte donabatur uxor ſacrificans, protenditur. Nomen hoc muliebre, ut illud, quod eſt in fabulis, praetereamus, etiam apud Gruterium (5) in veteri lapide occurrit. Aliae ſacerdotum ex feminino ſexu anaglypticae figurae inter vetera monumenta habentur, ac praeſertim celebris illa *Laberiae Feliclae Sacerdotis maximae Matris Deum Magnae Idaeae*, olim Hortorum Matthaeiorum, nunc Muſei Clementini Vaticani, cui nos locum fecimus infra in Sylloge veterum Inſcriptionum. Nec Inſcriptiones, & Statuae deſunt, quae alterum coniugem aliquo ſacerdotio inſignitum honorent. Inſcriptionem ſiquidem, & Statuam ſimul *Vettio Agorio Pontifici Veſtae* dedicavit *Caelia Concordia Virgo Veſtalis maxima*, ut cernere eſt apud Van-Dale-

(1) *Orat. pro L. Flacco* §. 31., ubi ait: *Vellem tantum habere ocii, ut poſſem recitare pſephiſma Smyrnaeorum, quod fecerunt in Caſtricium mortuum: primum ut in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur: deinde ut ferrent ephebi: poſtremo ut imponeretur aurea corona mortuo.*

(2) *Vid. eumdem Tullium de Legibus Lib. II. Cap.* 24., *Plinium Lib. XXI. cap.* 3., *& Cl. Ioh. Bapt. Paſſerium Pictur. Etruſcor. in Vaſcul. Tom. III. Tab. CCXXXIV. pag.* 27.

(3) *Inſcript. pag.* 360.

(4) *Itin. Ital. pag.* 88.

(5) *Inſcr. antiq. pag.* 973. *num.* 4.

M V . ENNIVS
M V . L. ESYCHVS
GALATEAE . SVAE

Daleium [1], qui alteram Inſcriptionem adducit, quae inluſtri huic feminae dedicatur a *Fabia Aconia Paulina* multis nominibus, & hoc praeſertim, quod ipſa prior ſtatuam *Vettio Agorio* eius viro collocaverit. Hos nimirum coniuges heic agnoſcere libuiſſet, niſi ſymbola Iſidis propria, & *Galateae* nomen aliter ſuaſiſſent. De varia Iſiaci cultus fortuna, & viciſſitudinibus apud Romanos conſulendus inter ceteros Vir Cl. Hannibal Oliverius [2].

TAB. XXV.

FIG. I. ET II.

POMPA ISIACA.

DUorum Cipporum in rotundam figuram conformatorum explanationem aggredimur, quos iam ex Hortis noſtris in Vaticanum Muſeum transferendos curavit pro ſua munificentia Clemens XIV. Pont. Max.,

Ereptus mediis, ſic Dii voluere, triumphis.

Pompam Iſiacam anaglyptice expreſſam iidem praeſeferunt, quam nos ſingillatim recenſere ſatagemus. Templum Iſidis tetraſtylum, ad quod quatuot graduum ſcala aſcenditur, in primis conſpicitur, atque prope atrium ſphinx ſupra cippum iacens exſiſtit; cum nimirum, teſte Clemente Alexandrino [3], a nobis alibi [4] citato, ante templorum fores ſphinges collocarentur, ὡς αἰνιγματώδους τοῦ περὶ θεοῦ λόγου, καὶ ἀσαφοῦς ὄντος, *quod aenigmaticus eſt ſermo de Deo, & obſcurus*. Adſtant hinc inde duo viri ſenili facie, ſuperne nudi, inferne longa veſte amicti, forte Iſidis ſacerdotes, calathum pomis onuſtum capite geſtantes, qui & Iſidis, & Oſiridis capiti etiam imponebatur, ut amborum vis frugifera, & capacitas omnia in ſublime trahentium declararetur [5]. Sacerdotes Numinum, quorum ſacris praeerant, ſymbola adſciviſſe, iam nos ſuperius monuimus. Cippo inſidens ſimulacrum alterum ſimile cernitur, pectore nudum, & inferne indutum ad pedes, capite vero obtruncatum ex iniuria temporis, ut an calathum capite geſſerit, dicere non poſſis. Inferne iacet Flu-

(1) *De orig., & ritib. ſacri Taurobolii Cap. VI. pag. 70., & 80. Vid. & Gruterium pag. 310. n.* 1. Nos rurſus loquemur inferius in Sylloge veterum Inſcriptionum.

(2) *Eſame del Bronzo Lerpiriano pubblicato dallo Spon. In Peſaro 1771. pag. 34., e ſegg.*

(3) *Strom. Lib. V. pag. 561.*

(4) *Tom. II. horum Monumentor. Tab. LXVIII. Fig. II. pag. 90.*

(5) *Macrob. Lib. I. Cap. 20., & Laurent. Pignor. Menſae Iſiacae Expoſit. Venetiis apud Ioh. Ant. Rampazettum 1605. pag. 25.*

Fluvius, qui Nilus eſt, ut Aegyptiorum in Iſidem cultus potiſſimum innuatur. Dextera manu alteram manum cippo inſidentis ſacerdotis Nilus prehendit, ut forte ipſum pelliciat ad Numen exorandum pro alluvionis conceſſione, quam Iſidis lacrimis effici cenſebant, ut ex homine Phoenice ſe inaudiviſſe teſtatur Pauſanias (1). Altera manu Nilus papyri plantam gerit, quae Aegypti potiſſimum eſt indigena, etſi etiam in Calabria ſponte oriri viderit ipſe Michelius (2), & Siculam quinetiam appellaverit Bauhinius (3), immo & demonſtraverit Dominicus Schiavius (4); ut nunc praeteream Cl. Mazochium (5), dum exponit verba illa *παρὰ τὴν βυβλίνην μασχάλην*, *per Byblinum anfractum* in Tabulae Heracleenſis priori parte (6), in ea eſſe ſententia, ut cenſeat *τὸν βύβλον papyrum* nomen ſuum indere potuiſſe paludi, quae circa Acirim flumen prope Heracleam olim fuerit, ut hinc etiam in Magna Graecia olim exſtitiſſe papyrum, veroſimile ſit. De Scirpo Ravennate, ex quo charta uſui ſcriptorio apta confecta fuerit, erudite, & ingenioſe inſuper diſſerit Comes Franciſcus Ginannius (7), ut proinde ex eius teſtimonio haec planta non ita pridem expreſſa fuerit eximio Raphaelis Mengſii pennicillo, quo Vaticanum cubiculum exaratis antiquiſſimis Papyris excipiendis paratum longe pretioſiſſimum, atque celeberrimum factum eſſe, Clementis XIV. beneficio, ac providentiae debemus (8). Duo crocodili hinc inde exſtant, quorum unus ſeni calathophoro adſilit, alter prope Nilum iacet, cuius haec animantia incolae ſunt, quaeque ab Aegyptiis colebantur, & divinatione quinetiam pollere quae antiquiora eſſent Aegyptii opinabantur, cum de conſulentium manu cibos ſumerent, vel renuerent (9). Sequitur Dea ipſa ſcamno, ſeu ſellae inſidens, cuius latus ſphinx ornat. Eius caput cornibus inſignitur, de quibus late diſſeruit Pignorius (10), noſque nonnulla attigimus in quadam de antiquis monumentis Epiſtola, quae in Ephemeridibus Florentinis legitur (11). Mammoſa etiam cernitur, uti & Ceres, quae eadem, ac Iſis, & Luna a veteribus Mythologis habita eſt (12), Longa ſtola, & peplo amicitur, ac dextera cornuco-

(1) *In Phocic.*

(2) *Nov. Plant. gener.* 44.

(3) *Pin.* 19.

(4) *Deſcrizione di varie produzioni naturali della Sicilia pag.* 87. *del Tom. II. della Nuova Raccolta Calogeriana.*

(5) *Tabul. Heraclen. Par. I. Schol. IV.* §. *I. pag.* 199.

(6) *Lin.* 44.

(7) *Diſſertazione ſopra lo Scirpo Ravennate pianta paluſtre pag.* 120. *del Tom. I. de' Saggi della Società Lètteraria Ravennate; in Ceſena* 1764.

(8) *Vid. quae diximus ad fragmentum Papyri ſaec. V., vel VI. continens donationem S. Ravenn. Eccleſ. oblatam, in Tom. II. Anecdotorum Litterarior. Romae* 1773. *pag.* 437.

(9) *Aelian. Lib. VIII. cap.* 4., & *Pignor. loc. cit. pag.* 21.

(10) *Loc. cit. pag.* 15. *b.*

(11) *Novelle Letterarie di Firenze* 1773. *num.* 2. *col.* 23.

(12) *Pignor. loc. cit. pag.* 17. *b.*

nucopiae, ſiniſtra ſpicas gerit, quas ipſam primum a ſe repertas capite circumtuliſſe, teſtantur Apuleius [1], & Tertullianus [2], quaſque gerit quinetiam in Inſulae Aegialeae Nummo apud Vailantium [3]. Iſidem intuetur figura mulieris ſtans, quam definire non audeo, niſi lubeat aliquam comminiſci ex iis, quas ab Aegyptiis veluti Deas cultas conſtat, ſcilicet Nephtyn, quam Finem, Venerem, & Victoriam eſſe cenſebant, vel Tithrambo, ſeu Hecatem, vel Thermutiden, vel Eumenutin Canopi uxorem, vel Themidem, vel Veſtam, vel tandem Gratias. Bos inſuper adſtat ad Iſidem converſus, ſub cuius imagine Aegyptii Apin colebant, ut omnibus notum eſt. Achilles Statius ex Pignorii fide [4] animadvertit, Niloticis bobus cornua temporibus alte conſurgentia ita curvari, ut ſummae illorum partes coire viderentur, & plenae Lunae ambitum exprimere. Sacri proceſſus ritum peragere togatum ſacerdotem aliquem, ex pedibus ad ambulandum compoſitis apparet. Geſtat hic dextera manu vel abſynthii, vel ſeriphii, vel palmae folium, quorum prima duo ab Iſiacis praeferri conſueviſſe, Plinius [5], & Dioſcorides [6] teſtantur, tertium vero & Iſidi ſacrum, & myſticis rationibus inſigne evincit Pignorius [7], tum & in Iſiaca pompa delatum fuiſſe, teſtatur Apuleius [8]. Sequitur alter, qui parva cymba vehitur, & ſacculum, ſive quid aliud manibus ſuſtinet. Cymba haec Baris apud Aegyptios audiebat, in qua Solis imago ab Aegyptiis collocari, tum & Apis vehi conſueverat [9]. Apud Fabrettium [10] quinetiam habetur Iſis in cymba papyracea ipſi Api mammam praebens, addita Ibice Mercurio ſacra. Cymbas enim ex ſcirpis contextas, ſeu ciſtas potius, aut etiam fiſcellas artis ναυπηγικῆς initium fuiſſe, oſtendit iam eruditiſſimus Mazochius [11]. Ob ſacrum hoc navigium, quod Iſidi ptaeſertim tribuebatur, quia navigationi praeeſſe putabatur, cippum hunc noſtrum laudat Winckelmannius [12], qui alia inſuper exempla ibidem adducit. Qui vero dein retro converſus cernitur, taedam lucidam praefert, quae ab Apuleio [13] ſummo ſacerdoti tribuitur. Agmen claudit vir quidam incli-

(1) *Metamor. Lib. XI.*
(2) *De corona militar. Vid. & Pignor. loc. cit. pag. 23.*
(3) *Nummata Graeca.*
(4) *Pignor. loc. cit. pag. 19.*
(5) *Lib. XXVII. cap. 7.*
(6) *Lib. III. cap. 25.*
(7) *Loc. cit. pag. 10.*
(8) *Metamor. Lib. XI.*
(9) *Pignor. loc. cit. pag. 20. b., & 35. Vid. etiam Ioh. Olivae in Marmor Iſiacum Romae nuper effoſſum exercitationes Cap. VI. pag. 48., & ſeq.*
(10) *Inſcript. Cap. VII. pag. 533.*
(11) *Spicileg. Biblic. Tom. I. Diſſer. IV. Par. alter. pag. 199.*
(12) *Monumen. antichi inediti Vol. II. Par. I. Cap. VII. pag. 26.*
(13) *Metamor. Lib. XI.*

clinatus, ante cuius pectus pendet linteum, seu mantile, cui adsilit crocodilus. Sequitur Cippus alter, cuius figuras exponere breviter enitemur. Sedens cernitur Hercules, qui αἰγύπτιος τῷ γένει *Aegyptius genere* a Tzetze (1) dicitur, quique clavam dextera tenet, & altera sellae innititur. Duo hinc inde adstant tibicines, quos in processu Isiaco Apuleius inducit (2): *Ibant & dicati magno Serapi tibicines*. Duo globi ad Herculis pedes conspiciuntur, qui vel poma Hesperidum censeri possent, vel ova, quibus in huiusmodi pompis uti solemne erat, & quorum symbola non uno in loco designavimus. Vas, quod prope humi assurgit, forte Cista mystica est, vel aliud vas sacrificialibus rebus condendis aptum. Sequitur ara, cui flamma ardens superstat. Cernitur superne sphinx alata, de qua videndus Pignorius (3), quaeque dexterum pedem anteriorem rotae admovet, ac inferne bos iacet, de quo superius dictum est. Tenia cinctum caput habens, & longa veste in subligacula, quae ad talos pertingunt, desinente indutus, forte minister aliquis, sequitur in hac pompa, tum figura altera succincta, & hastam gerens, quae femina apparet, atque inter hos supra parvam basim cubat serpens, cui divinitatem adseruit ex Phoenicum placitis Taautus apud Eusebium (4), quemque Cereri, quae & Isis, & Baccho, qui & Osiris, Isidis nempe vir, & frater, sacrum erudite iam ostendit Ioh. Oliva (5). Hinc sellae insidet Isis ipsa, velo supra caput expanso obtecta, quod est divinitatis indicium, dextera manu cornu tenens, sinistra Bovem, seu Apim ante se constitutum demulcens. Succedit figura calathum pomis refertum deferens supra caput, quae muliebris videtur. Femina altera hastam gerens statim subsequitur, atque postremum locum habet minister alter, qualem sphingi proximum mox designavimus. Eidem ex uno latere serpens, ex altero sphinx ad pedes adstant. Sicque pompa Isiaca, quam late descriptam videas apud Apuleium iam a nobis pluries citatum, heic clauditur.

(1) *Chiliad. XII. vers.* 140.
(2) *Loc. cit.*
(3) *Loc. cit. pag.* 35.
(4) *Praepar. Evang. Lib. I. Cap. ult.*
(5) *In Marmor. Isiacum exercitationes Cap. VI. pag.* 46., *& seq.*

TAB.

TAB. XXVI.

FIG. I.

PRAEPARATIO TIRONIS AD TOGAM.

Caelatoris culpa, qui Romana cum Aegyptiis, ceteraque ſaepe indiſcriminatim permiſcuit, hoc Anaglyphum nunc exponere neceſſe nobis eſt. Ritus heic exhibetur, qui Romanis aeque, ac Etruſcis communis fuit, nempe datio virilis togae. Provinciam hanc mire, & luculenter exornavit vir Cl. Iohannes Baptiſta Paſſerius in tribus, quos edidit, *Picturarum Etruſcorum in vaſculis* voluminibus. Heic vero non niſi praeparatio ad caeremoniam exſtat, quandoquidem & balnea, & ſacrificia praemitti conſueverant. Vides proinde Tironem praetexta adhuc indutum ſimpulum dextera gerere, haſtam ſiniſtra. *Simpulum* enim, quod & *ſimpuvium*, ex Feſti fide nihil aliud erat, quam *vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis bibebatur, unde & mulieres rebus divinis deditae Simpulatrices dictae*. Haſta vero adhibebatur ab utroque populo Romano & Etruſco Saturnalium, & Bacchanaliorum tempore, quo recurrente hic ritus peragi potiſſimum ſolebat. Caeremoniae auſpex, & adoleſcentis dux, vir nempe illuſtris, ipſum manu tenet, rurſus eumdem adducturus poſt togam aſſumptam in forum, ut novum civem oſtenderet,

Romano puerum gaudens offerre favori (1),

tum etiam ad Capitolium, ut de Marco Cotta (2), & de Claudio Imp. (3) accepimus, ut ſcilicet civilis vitae initium a ſacris auſpicaretur. Pone ſequitur Paedagogus, vel Praeceptor more virorum nudo brachio exſertus, quod Tironibus per annum non licebat, & virgam ex lauro gerens, niſi etiam ramum, ex quo corona puerorum capita hoc tempore redimire ſolita pararetur, comminiſci lubeat. Duo alii togati adoleſcentem comitantur, ut eorum praeſentia celebrior fieret ſolemnitas, quae nimirum & amicorum conventu, & conviviis, & muneribus utro, citroque miſſis decorare conſuetudine iam receptum erat. Poſtremo tandem ſervus alterum puerum praetexta pariter indutum ad ritum fratris natu maioris obſervandum adducere videtur, qui proinde ita manus, & vultum attollit, ut vel ſciſcitari ea, quae peragebantur, vel pre-

(1) *Claud. de VI. Conſul. Honor.*
(2) *Valer. Maxim. Lib. V. cap. 4. num. 4.*
(3) *Sueton. in eius vita cap. 2.*

precari Superos, ut celeres ire facientes kalendas ipſum etiam toga dignum efficerent. Ex ceteris monumentis a Paſſerio adductis reliquas caeremoniae partes repete.

TAB. EADEM.

FIG. II.

POMPA ISIACA.

Celebre eſt hoc Anaglyphum Aedium Matthaeiarum ad Circum Flaminium, quod a multis ſcriptoribus memoratur, ut infra monebimus. Marmor album eſt, non vero baſaltes, ut quidam perperam ſibi in animum induxerant. Habes heic Pompam Iſiacam, cuius deſcriptionem auſpicamur a muliere, quae dextera ſiſtrum, ſiniſtra capedunculam ſuſtinet. Siſtrum tribus virgulis tranſverſalibus inſtructum eſt. Ad hoc noſtrum provocat, immo refert Benedictus Bacchinius, qui *de Siſtrorum figuris, & differentia Diſſertationem* edidit (1), quae una cum altera Tollii inter *Antiquitates Romanas* (2) a Graevio recuſa eſt. Alias ſiſtrorum figuras cernere etiam licet apud Fabrettium (3), & apud Cauſeium (4), ut nunc praeteream Pignorium, Aleandrium, Montfauconium, alioſque. Medicei Tablini Siſtrum omnium ornatiſſimum deſcripſit iam Ioſephus Blanchius (5), noſque & Matthaeianum, & Gualdinum, & Strozzianum ad viam Aureliam repertum, & Herculanenſe, & Vaticanum ſuſpectae antiquitatis deſignavimus in noſtra ad Cl. Bandinium Epiſtola, quae in Florentinas Ephemerides inlata fuit (6). Inter vaſa ſacrificialia erat *capis* a capiendo dicta, quae & *capula* nuncupata eſt, quaeque manubrio inſtructa erat, atque vel ex ligno, vel ex creta efformabatur, ut teſtatur Varro (7). *Capedines* vero, *capedunculas*, *& fictiles urnulas* appellavit Tullius (8), quorum altero nomine nos etiam vaſculum ab Aegyptia muliere geſtatum deſignavimus. Videndus hac de re Baſſus Baſſius in ſuis ad Italam Banierianam editionem adnotationibus (9). Sequitur Aegyptius Sacerdos ſacro mantili coopertus, capi-

te

(1) *Bononiae 1691. ex Typographia Piſariana.*
(2) *Tom. VI. pag.* 411., *& ſeqq.*
(3) *Fabrett. Inſcript. Cap. VI. pag.* 488.
(4) *Roman. Muſ. Tom. II. Sect. III. Tab. XV. pag.* 9.
(5) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che ſi conſervano nella Galleria Medicea-Imperiale di Firenze Par. I. pag.* 174.
(6) *Novelle Letterarie di Firenze del* 1773. *num.* 47. *col.* 743.
(7) *De vit. popul. Roman. Lib. I.*
(8) *In Paradox.*
(9) *La Mitologia del Banier &c. In Napoli* 1764. *Tom. V. Lib. V. cap.* 4. *pag.* 128.

te velatus, & pedes revinctus obligaculis papyraceis multifariam implexis, & obductis, quae calceamentorum vices ſubeunt. Hic velatis manibus ob ſacrorum reverentiam defert Urnam, quae ipſam Iſidem repraeſentabat, ut ex Apuleii (1) teſtimonio eruimus: *Gerebat alius*, ipſe ait, *felici ſuo gremio ſummi Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae, ac ne hominis quidem ipſius conſimilem, ſed ſolerti repertu, etiam ipſa novitate reverendam, altioris utcumque, & magno ſilentio tegendae religionis argumentum ineffabile, ſed & ad iſtum plane modum fulgente auro figurata. Urnula faberrime cavata fundo quam rotundo, miris extrinſecus ſimulacris Aegyptiorum effigiata. Eius orificium non altiuſcule levatum, in canalem porrectum longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens ſpatioſa dilatione adhaerebat anſa, quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis, ſquameae cervicis ſtriato tumore ſublimis*. Prolixitati huius teſtimonii nobis indulgere placuit, quod noſtro argumento nimium conveniat. Addimus nos, ſuperne floſculum vaſi adſtare, qui forte lotus eſſe poterit, qui Solis amator eſt, ac proinde mariti Iſidis, quemque Aegyptii, & Baſilidiani magni faciebant, & in eorum monumentis ſaepiſſime exprimebant; qua de re vide Pignorium (2), & Olivam (3) fuſius differentes. Ceterum fieri etiam poſſet, *hydriam* heic haberi, quae in Oſiridis, & Iſidis ſacris circumferebatur, & *quae* cum *ad templum aedemque caſta religione* referebatûr, *tunc in terra procumbentes, manibus ad caelum ſublatis, inventionibus gratias* agebant *divinae benignitatis*, ut verba fere omnino ex Apuleio ſaepius citato petita uſurpemus. Hoc etiam innuit Plutarchus (4), dum ait: Τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπεμπέυει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τίμῇ τοῦ θεοῦ. *Ante ſacra ſemper praecedit vas aquarum in honorem Dei* (5). Neque etiam quid inveriſimile proponeret, qui aliquod tritici, vel hordei vaſculum heic haberi coniiceret. Siquidem Diodorus Siculus (6) ita ait: Παρ' ἐνίαις δὲ τῶν πόλεων, καὶ τοῖς Ἰσείοις ἐν τῇ πομπῇ μετὰ τῶν ἄλλων φέρεσθαι πυθμένας πυρῶν, καὶ κριθῶν, ἀπομνημονεύματα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτεχνίας εὑρεθέντων. *Apud nonnullas quoque urbes, cum Iſeia celebrantur, in pompa, tritici, & hordei vaſcula circumferri ad primitus Deae induſtria repertorum memoriam*. Singularis haec figura aere inſculpta adducta eſt a laudato ſuperius Baſſio in eius adnotationibus ad Italam Banierianam Mytholo-

(1) *Cit. Lib. XI. Metamor.*
(2) *Loc. cit. pag.* 17.
(3) *Loc. cit. Cap. XII. pag.* 99., *& ſeqq.*
(4) *De Iſide, & Oſiride.*
(5) *Vid. Olivam loc. cit. Cap. XI. pag.* 84., *& ſeq.*
(6) *Lib. I. Biblioth.*

thologiam [1]. Procedit dein ſacrificulus alter, cuius dexterum brachium confractum eſt, laeva manu vero vel facem, vel quid aliud indiſtinctum defert. Veſte infra lumbos tegitur, ſuperne nudus apparet. Petaſum inſtar Mercurii in capite gerit, & alis inſuper diſtinguitur. Forte Cynocephali, ſub quo Mercurius ab Aegyptiis colebatur, ſymbola referri heic poſſe cenſerem; niſi etiam illud dici poſſet, heic haberi alas accipitris, qui lucis, & ſpiritus ſymbolum Aegyptiis erat, & ſacer Iſidi, cuius capiti proinde inſiſtebat, vel etiam ipſius alae aptabantur [2]; quemadmodum & frontes [3], & epiſtylia [4] templorum inſuper ab Aegyptiis huiuſmodi alis ornabantur [5]. Omnium poſtrema occurrit femina ſtolata, & lotum ſupra caput gerens, quae ſitulam dextera habet, ſiniſtra contorto ſerpente implicatur. Situla aqua plena locum habebat in Iſiacis ſolemnitatibus, aliaeque etiam ſignificationes aptari eidem poſſunt, quas vide apud Olivam [6]. De ſerpentibus nonnulla ſuperius adnotavimus [7], cum eos circa Bacchantium brachia intortos innueremus, ut proinde eadem nunc reponere minime neceſſe ſit. Ceterum ſi quis maiora pro horum animantium illuſtratione nunc cupiat, praeſertim quoad Aegyptiorum caeremonias, & Iſidis repraeſentationem, adeat Smetium [8], Pignorium [9], Olivam [10], alioſque. Poſtremo illud a nobis monendum eſt, hoc Anaglyphum haberi inter *Admiranda Romanarum antiquitatum* [11], tum etiam apud Montfauconium [12], ac de ipſo tandem verba fieri a Cl. Praeſule Franciſco M. Blanchinio [13]. Aegyptiacorum rituum argumentum omne hoc Anaglypho concluſimus; non enim alia & Horti, & Aedes Matthaeianae ſuppeditant. Qui plura, & exſtantiora intueri gaudeat, Iſiacam Menſam aeneam e Petri Bembi manibus ad Mantuanum Gonzaghiorum Dynaſtarum Muſeum, & ab hoc ad regium Taurinenſe translatam, & a Pignorio illuſtratam, Marmor Iſiacum Romae effoſſum ad Minervitanum Coenobium, & ab Oliva expoſitum, Tabulam Iſiacam ex baſalte in Aven-

(1) *Cit. Mitologia di Banier Tom. I. Par. II. Lib. II. cap. 2. Tav. 68. pag. 307.*
(2) *Vid. Pignor. loc. cit. pag. 26. b., 31. b., & 36. b., & Olivam loc. cit. Cap. X. pag. 81.*
(3) *Aelian. Hiſtor. animal. Lib. X. cap. 22.*
(4) *Pocock Deſcr. of the Eaſt, Vol. I. Tab. 47. 50.*
(5) *Winckelmann Monumenti antichi inediti Vol. II. Par. I. Cap. XXVII. §. VI. pag. 106.*
(6) *Loc. cit. Cap. XI. pag. 85.*
(7) *Hoc Vol. Tab. XX. Fig. II. pag. 35.*
(8) *Antiq. Neomag. pag. 134.*
(9) *Loc. cit. pag. 12., & ſeqq.*
(10) *Loc. cit. Cap. VII. pag. 56.*
(11) *Tab. LXVIII.*
(12) *Antiq. explic. Tom. II. Par. II. Lib. I. Cap. VII. pag. 286. Tab. CXVI. num. I.*
(13) *La Storia univerſale provata con monumenti, e figurata con ſimboli degli antichi. Roma 1747. Cap. XVI. pag. 179.*

Aventino detectam, nunc in Academia Clementina Bononiensi adservatam, & a Ficoronio [1] editam, tum cetera a Montfauconio, Winckelmannio, Caylusio, aliisque prolata monumenta, atque tandem Gisberti Cuperii Harpocratem adire poterit, ut cerebrosas Kircherianas de Obeliscis commentationes silentio praetereamus.

CLASSIS V.

QUAE CONTINET

MONUMENTA GRAECA ANTE BELLUM TROIANUM.



TAB. XXVII.

FIG. I.

OEDIPUS.

MOnumentum hoc disruptum refertur a Cl. Winckelmannio [2], tamquam urnae fragmentum in aedibus Rondaniniis adservatum. Quomodo inter Antiquitates Matthaeianas irrepserit, ut nobis nunc illustrandum praebeatur, divinare non possumus. Quare heic cernitur Oedipus Thebarum rex, ob eductos oculos vel per se, vel per Laii patris servos, ut censet Hellanicus [3], obcaecatus, atque a duobus ipsius filiis, Etheocle nimirum, & Polynice vi Thebis abductus, tamquam in exsilium ab iisdem pulsus, ut ipse apud Sophoclem conqueritur [4]. Laudatus Winckelmannius maiorem ex filiis videtur eum agnoscere, qui vultu ad figuram, quae deest, converso, & lancea armatus atrocitatem, & minas praesefert, alterum vero natu minorem, qui maestitiam, & commiserationem quamdam, truci tamen illusam facinore, vultu exprimit. Diadema, quod capite gerit, Oedipum regem prodit, comaque haud crispa, qualem exhibent ceteri Graecorum Heroes, sed hirta, ac diffusa eius infortunium, & squallorem ostendit. Longo pallio ad sinistrum humerum revincto indui-

(1) *Le vestigia di Roma antica Lib. I. Cap. XII. pag.* 80.
(2) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Par. II. Cap. XIII. §. I. num.* 103. *pag.* 137.
(3) *Scholiast. Euripidis in Phoenis. ad vers.* 61.
(4) *Oedip. Colon. vers.* 1394.

duitur, quod & regiae dignitatis indicium alterum. Ad ſiniſtrum latus enſe cingitur, quo, teſte Seneca [1], oculos ſibi eruit, quamquam ex Sophoclis [2] fide violentas manus ſibi intulerit Oedipus fibularum ope, quas a Iocaſtae matris, & uxoris cadavere abſtulerat. Manus, quae truncato corpore ſupereſt, ita conformata apparet, ut ad feminam pertinuiſſe cenſendum ſit. Winckelmannius ex Oedipi filiabus unam, ſive Antigonam, ſive Iſmenam, quas fratrum impietatem exſecraſſe compertum eſt, heic exſtitiſſe ſuſpicatur. Arcus, qui in muro conſpicitur, duas forte indicant Thebarum portas ex ſeptem, quae vulgo huic urbi tribuuntur, etſi non ἑπτάπυλοι tantum, ſed etiam ἑκατόμπυλοι, *centum portis inſignes* Thebae praedicentur [3]. Winckelmannius autem unam tantum portam duobus arcubus oſtendi etiam potuiſſe exiſtimat, quod & apud Romanos uſu receptum eſſet, ut portae urbis duobus arcubus, vel ingreſſibus paterent, quemadmodum tribus patuiſſe apud Pompeianam civitatem etiamnum ſuiſmet oculis quiſque evinci poteſt, media quidem ceteris eminentiore, & ampliore.

TAB. EADEM.

FIG. II.

O R P H E U S.

CErnitur heic Orpheus natione Thrax Apollinis, ex Calliope Muſa filius, qui lyram pulſans variis ſtipatur feris, equo, leone, urſo, bove, capra, ove, & avibus, quas ipſum ſono, cantuque cicuraſſe, fabulis accepimus. Cetera ipſius lyrae portenta, qua fluvios ſiſtebat, ſilvaſque in ſui admirationem concitabat, praetereo, quod heic haud expreſſa comperiam. Orpheus heic ſedens, dolenſque adſtat, & pallio obtegitur ita, ut dexterum humerum, & brachium nudum exhibeat. Caput nulla mitra, nulloque pileo, qualis Thracibus, Phrygibuſque tribui ſolebat, inſtructum eſt; quo quidem carentem a Polignoto Delphi eumdem depictum novimus [4], atque ita etiam efformatum multa monumenta, quae ſuperſunt, quaeque in Capitolio praeſertim, & in Hortis Pamphiliis extra Portam Aureliam adſervantur, oſtendunt. Anaglyphum hoc in aedibus Matthaeianis ad Cir-

(1) *Oedip. verſ.* 935.
(2) *Oedip. Tyr. verſ.* 1292.
(3) *Dionyſ. Perieg. verſ.* 249.
(4) *Pauſan. Lib. X. pag.* 873.

Circum Flaminium habetur, atque iam publici iuris factum fuerat in splendida Virgilii Medicei Romana editione Monaldiniano aere, & typis Zempelianis peracta [1]. In celebri marmorea Homeri apotheosi, quam superiore Volumine satis innuimus [2], ex Winckelmannii [3] sententia adest Orpheus in secundo figurarum ordine ante ὅλμον, operculum scilicet Apollinei tripodis (quod tamen a Kircherio, Spanhemio, Gronovio, atque Cuperio, eiusdem monumenti illustratoribus, pro Ulyssis pileo acceptum est) ut nempe ab Orphei Hymnis, non iis tamen, qui vulgo circumferuntur, etsi antiquissimo tempore conficti videantur, Homerum & sententias, & versus mutuatum fuisse innuatur. Orpheus quinetiam lyram ad inferos pulsans, adstante cerbero, & Danaidum duabus aquam perforatis situlis gestantibus, ut Eurydicem uxorem a serpente occisam a Plutone repeteret, exprimitur in Pamphiliorum Hortorum Anaglypho, quod a Winckelmannio adductum est [4]. Anaglyphum alterum, in quo figura, & nominibus designati habentur ΕΥΡΥΔΙΚΗ, ΟΡΦΕΥΣ, ΕΡΜΗΣ, *Eurydice*, *Orpheus*, *Mercurius*, adservatur Neapoli in percelebri Museo Carafeiano Noiae Ducum, ut Winckelmannius [5] nobis fidem facit. Monumentum alterum ad Orpheum pertinens exstat in regio Taurinensi Museo, quod ita eleganter a Cl. Viro Felice M. Nerinio Alexiani Coenobii Abbate describitur [6], ut ipsius verba usurpare quinetiam libeat: *Opus est marmoreum ab insigni artifice diligentissime perfectum, atque adeo expressum ad naturae veritatem, ut intuenti mihi miserabilem in eo caedem sculptam suavissimi vatis Orphei, a Bacchantibus discerpti, sensum aliquem doloris extorserit.*

TAB. XXVIII.

FIG. I.

PERSEUS ET MINERVA.

EX Iove Perseum genuit Danaes, quem ab aquarum suffocatione ereptum, & adultum talaribus & falce adamantina Mercurius donavit, galea Pluto, Minerva aegide. Quare habes heic Perseum ostentantem caput Medusae, & ensem pro hasta falcata, quo illud

(1) *Tom. I. ad lib. IV. Georg. post vers.* 506. *pag.* 198.

(2) *Class. II. pag.* 16.

(3) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Par. II. Cap. XXXIII. pag.* 209.

(4) *Ibid. Vol. I. num.* 50., *& Vol. II. Par. I. Cap. XX. pag.* 63.

(5) *Loc. cit. Vol. II. Par. II. Cap. IV. pag.* 114., *& seq.*

(6) *De suscepto itinere Subalpino Epistolae tres ad Em. Card. Ang. M. Quirinum; Mediolani* 1753. *Epist. II. pag. XXIX.*, *& adnot.* 20. *ad pag. XLII.*

illud amputavit, cum expeditionem contra Gorgonas suscepit, atque cum Medusa congressus est, Pallade, quae galea, & clypeo armata heic adstat, manum dirigente. Medusae caput vipereis capillis formidabile in aegide adligatum abstulisse fertur, quod tamen sinistra ipsius manu capillis prehensum heic intuemur. Pileum Phrygium in hoc Anaglypho gerit Perseus pro Plutonis galea, talares vero ad pedes habet, sive eos a Mercurio, ut, teste Hygino (1), aliisque diximus, sive a Nymphis acceperit, ut Apollodorus narrat (2). Gladius vero, quem a Vulcano Hyginus Perseo donatum dicit (3), ἄος ab Hesiodo (4) appellatur; etsi Apollodorus (5), & alii, qui omnes ἀδαμαντίνην *ex adamante* vocant, a Mercurio accepisse ferant, eumque Apollodorus ipse ἅρπην nominet, quod Hyginus (6) vertit *falcem*. Tzetzes (7) tribuit Perseo λογχοδρέπανον *hastam falcatam*, ut & inferius ex integro eius testimonio patebit. Primus omnium tamen Medusae fabulam narravit Hesiodus (8), etsi Apollodorus (9), Phornutus (10), & Pausanias (11) aliter rem referant. Ob hoc, aliaque facinora Homerus (12) Perseum vocat πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν *omnium celeberrimum hominum*. Perseum cum Medusae capite expressum etiam habes apud Gorium in Museo Florentino (13).

TAB. EADEM.

FIG. II.

PERSEUS ET ANDROMEDA.



Ndromeda Cephei Aethiopum regis filia rupi alligata, marinoque monstro exposita, a Perseo, qui ipsam liberavit, heic manu prehenditur. Notum ex fabulis est, ipsam ob matris Cassiopeae superbiam sese decore formae ceteris Nymphis praeferentis hanc iniuriam, ultionemque ab ipsis tulisse. Rem hanc unanimi narratione exposuerunt Apollodorus (14), Ovidius (15), Hyginus (16), Phi-

(1) *Astronom. Poet. II.* 12.
(2) *Biblioth., sive de Deorum origin. Lib. II. cap.* 4.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Scut. Hercul. vers.* 221.
(5) *Loc. cit.*
(6) *Loc. cit.*
(7) *In Lycophron. vers.* 836.
(8) *Theogon. vers.* 274., & *Scut. Hercul. vers.* 215.
(9) *Loc. cit.*
(10) *De natur. Deor. Cap. XXXII.*
(11) *Lib. II.* 21.
(12) *Iliad. XIV. vers.* 320.
(13) *Tom. II. Tab. XXXIV. num. III., IV., & V. pag.* 81.
(14) *Biblioth. sive de Deorum origine Lib. II. cap.* 9.
(15) *Metamor. Lib. IV. vers.* 669.
(16) *Fab.* 64.

Philoſtratus [1], Tzetzes [2], Sophocles, & Euripides [3], Ariſtophanes [4], & Strabo [5]; etſi Conon apud Photium [9] aliter rem narret. Certe Poetae omnes, qui hanc fabulam referunt, meminerunt rupis, cui alligata erat Andromeda, & cui nunc inſtantem ipſam intueris. Hinc Propertius [7].

Libera iam duris cautibus Andromeda.

Ovidius [8]:

Quam ſimul ad duras religatam brachia cautes.

Tandem Manilius [9]:

Expoſitam ponto deflet, ſcopuliſque revinctam
Andromedam meritae non iuſta piacula matris.

Perſeum marinum monſtrum Gorgonis capite obiecto viciſſe, Tzetzes [10] fidem facit, qui ait: Δείκνυσι τὴν κεφαλὴν τῆς Γοργόνος τῷ κήτει, καὶ ἅμα ἑλκύσας τὸ λογχοδρέπανον, ὃ μὲν μέρος τοῦ κήτους ἐποίησε λίθινον, ὃ δὲ ἀπέκοψε. *Oſtendit caput Gorgonis monſtro, & ſimul extollens haſtam falcatam, partem monſtri lapideam fecit, partem vero amputavit.* Hac de monſtro relata dein victoria, Andromedam ſibi in uxorem adiunxit Perſeus. Petaſo, & talaribus ipſe inſignitus nunc conſpicitur; petaſo enim, quem ἄϊδος κυνέην, *Orci galeam* appellat Heſiodus [11], ac *petaſum* expreſſe vocat Hyginus [12], ut & *petaſum* explicat κυνῆ ipſe Suidas, ſuperius iam Perſeum a Plutone, ſicut etiam talaribus a Mercurio donatum diximus. Simile fere huic noſtro Anaglyphum alterum, exſtans in Hortis Pamphiliis, adduxit Bellorius [13], & ex eo Montfauconius [14], & Baſſius in adnotationibus ad Barnierianam Italicam Mythologiam [15].

(1) *I. Im.* 29.
(2) *Ad Lycophron. verſ.* 836.
(3) *In Andromeda.*
(4) Θεσμοφ *verſ.* 1109.
(5) *Geograph. Lib. I. pag.* 73.
(6) *Cap. XL.*
(7) *Lib. I. Eleg. III. verſ.* 4.
(8) *Loc. cit. verſ.* 672.
(9) *Aſtronom. Lib. I. verſ.* 355.
(10) *Loc. cit.*
(11) *Scut. Hercul. verſ.* 227.
(12) *Aſtron. Poet. II.* 12.
(13) *Admirand. Urbis Romae Tab. LXII.*
(14) *Antiq. explic. Tom. I. Part. II. Tab. LXXXVI. num.* 5. *pag.* 146.
(15) *Mitologia del Banier, in Napoli* 1754. *Lib. I. cap.* 4. *not.* a, *Tav.* 26. *pag.* 154.

TAB.

Tab. XXIX.

FIG. I.

PELOPS HIPPODAMIAM POST VICTORIAM CURRU ABDUCENS.

HAbes in diſrupto hoc Anaglypho eleganti curru vectos Pelopem, & Hippodamiam, quam prior in triumphum ducit, poſtquam de Oenomao virginis patre, cum quo quadrigis certavit, victoriam retulit. Qui equo inſidet, forte Myrtilus eſſe poterit, qui & Taraxippus dictus eſt, quique cum Oenomai auriga eſſet, nec clavos in rotas currus conieciſſet, ſpe dimidii regni, quod pollicitus eſt Pelops, illectus, equis incitatis, Oenomai currus in varias partes diſtractus, & colliſus eſt. Quare Pelopem cum Hippodamia, & Myrtilo domum victorem redeuntem heic conſpici cenſerem, etſi in itinere praecipitem ipſum in mare dederit Pelops, de eius fide dubitans, & opprobrium, ſi fraudem prodidiſſet, ſibi metuens. Certamen vero Pelopis cum Oenomao cerni poterit in Urna Etruſca Tudertina ex alabaſtro, quae nunc ex dono Decurionum in Muſeum Vaticanum Clementinum inlata eſt, quamque perperam pro Amazonum pugna acceptam edidit, & illuſtravit Clariſs. Gorius (1). Errorem hunc notavit eruditiſſimus Paſſerius (2), noſque etiam & hic (3), & alibi (4) deinde prodidimus. Fabulam hanc Hyginus (5) integram refert, ad quem provocaſſe iuvabit.

Tab. EADEM.

FIG. II.

PELOPS HIPPODAMIAM POST VICTORIAM CURRU ABDUCENS.

IDem argumentum hoc ipſo Anaglypho pariter diſrupto exprimi cenſeo. Quadriga enim vehitur Pelops flagello armatus una cum Hippodamia, quam, parta de Oenomao victoria, iam ſibi uxorem adiunxerat. Frequentiſſime enim in Etruſcis monumentis hiſtoria haec

(1) *Muſ. Etruſc. Tom. I. Tab. CXXXV.*

(2) *Pictur. Etruſc. in Vaſcul. Tom. I. Diſſer. V. pag. LXXVI.*, & *Tom. XVI. Nuova Raccolta d'Opuſcoli*, editore Cl. Viro Fortunato Mandellio, *pag. CXLI.*

(3) *Tom. I. Claſs. X. adnot. ad Tab. CII. pag.* 107.

(4) *Novelle Letterarie di Firenze* 1773. *n.* 45. *col.* 713.

(5) *Fab.* 84.

haec cernitur; quandoquidem Pelops & Pelafgus, & Theffalus, & Lapitha fuit, utpote qui in Peloponnefo regnavit, cui nomen indidit, tefte Diodoro Siculo [1]; hincque Peloponnefus ipfa Pelafgica dicta eft, ut ex Ephoro tradidit Strabo [2], atque infuper ob quinquaginta Danaides & Argus, & Peloponnefus, quas *terrigenas* dixerat Aefchylus [3], & *Pelafgas*, & *Tyrrhenas* etiam appellavit [4]. Quare nil mirum, Etrufcos Sculptores Pelopis hiftoriam calluiffe, eamque tradidiffe marmoribus opere anaglyptico. Amphiaraum regem Argos, qui, tefte Statio [5], in primo Thebano bello voragine una cum curru abforptus fuit, heic exprimi fufpicatus fueram; verum marmoris potius fracturam, quam voraginem heic exprimi verofimilius cenfui.

TAB. XXX.

MELEAGER ET ATALANTA.

FAbulam Meleagri, & Atalantae heic habes, quam nos haud prolixius exponemus, cum apud Ovidium [6], aliofque Mythologos eadem integre intelligi commode poffit. Quare heic confpicis nudum Meleagrum, palliolo ad finiftrum humerum dumtaxat inftructum, & lancea armatum, qua aprum Calydoniae agros vaftantem impetit. Prope ipfum Atalanta confpicitur fuccincta, pharetram poft dorfum perferens, & arcu armata, ut pote quae aprum primo vulnere percufferat, & cui dein propterea animantis exuvias Meleager donaverat. Adftant hinc inde iuvenes lanceis inftructi, quales fibi in venatione comites adiunxiffe Meleagrum, eft in fabulis. Nec deeft quin etiam altera mulier fuccincta, pharetram retro gerens, & arcum finiftra, quam dixerim Dianam, quae nimirum irata aprum in Calydoniae agros ad eos devaftandos induxerat. Canes etiam hinc inde latrant, & feram morfibus invadunt, homine interim in terram collapfo, vel ex iis uno, qui in Meleagri comitatu erant, ex apri ictu forte percuffo, vel altero in Calydoniae campis errante, & ipfius apri ferocitate confoffo. Meleagri venatio non infrequens in veterum fepulcris, atque in ipfis Etrufcorum urnis [7]. Fabrettius [8] quidem Infcriptionem addu-

(1) *Lib. V.*
(2) *Lib. VII.*
(3) *In Prometh. ligat. verf.* 570.
(4) *Ibid. verf.* 859., *& feq.*
(5) *Thebaid. Lib. VII. in fin.*
(6) *Metamor. Lib. VIII.*
(7) *Origini Italiche di Monfignor Mario Guarnacci Tom. II. Lib. V. Cap. I. pag.* 45.
(8) *Infcr. Cap. X. num.* 527. *pag.* 744.

adducit emortualem, quam exſtare ait in fragmento ſarcophagi in aedibus Alliorum, ubi apri Calydonii venatio expreſſa erat. Alterius ſarcophagi frons quinetiam hac venatione inſculpta habetur ad ſiniſtrum murum, qui lateralis eſt praealtis ſcalis, quibus ad templum Aracaelitanum aſcenditur. Anaglyphum alterum hanc exhibens venationem conſuli etiam poterit apud Sponium [1], tum apud Montfauconium [2]. Meleagri fortunae complementum habes in ſarcophago altero Hortorum Pincianorum gentis Burgheſiae, ubi conſpicitur ex una parte cum avunculis dimicans ob raptum apri munus, ab ipſo iam Atalantae impertitum, eoſque interficiens, ex altera vero ex Althaeae matris ultione ad mortem redactus, lecto adſtantibus duabus ſororibus, quae pomum ori ad refrigerium porrigunt [3]. Celebris eſt Meleagri Statua ex marmore Lunenſi, forte Etruſcorum opus, ut cenſet Cl. Guarnaccius [4], in qua caput apri ab ipſo interfecti ad pedes cernitur, quaeque olim in aedibus Franciſci de Nurcia Medici ad forum Farneſianum exſtans, teſte Ulyſſe Aldrovandio [5], qui Adonem perperam nobis deſcribit, ac dein in Pighiniae gentis poteſtatem una cum aedibus redacta tandem in Muſeum Vaticanum ex munificentia Clementis XIV. P. M. inlata eſt. Apud Maffeium [6], & Montfauconium [7] ipſius ectypus aenea tabula expreſſus conſuli poterit.

Tab. XXXI.

HYLAS A NYMPHIS RAPTUS.

Cernitur heic Hylas Theodamantis, & Monodices Nymphae filius, quem vel Hercules, vel Polyphemus amavit, teſte Socrate. Cum Onaſus referat eum ſubmerſum in fontem, hinc orta eſt fabula, a fluvialibus Nymphis raptum fuiſſe, qualis heic conſpicitur. Cum enim ad Colchidem ob aurei velleris aſportationem una cum Hercule profectus eſſet, inter eos fuit, qui & expeditionis termino, & reditu

(1) *Miſcell. erud. antiq. Sect. IX. pag.* 312., *& ſeq.*

(2) *Antiq. explic. Tom. III. Par. II. Tab. CLXXVIII. pag.* 326.

(3) *Villa Borgheſe di Domenico Montelatici; in Roma* 1700. *pag.* 160., *& pag.* 196., ubi Tabula aenea. Vid. & apud Montfauconium *Antiq. explic. Tom. I. Par. II. Tab. XCVII. num.* 2. *pag.* 162.

(4) *Origini Italiche Tom. II. Lib. VII. Cap. I. pag.* 337.

(5) *Le antichità della Città di Roma per Lucio Mauro &c., appreſſo tutte le Statue antiche &c. per M. Uliſſe Aldroandi; in Venezia* 1562. *pag.* 163.

(6) *Raccolta di Statue Tav. CXLI. pag.* 131.

(7) *Antiq. explic. Tom. I. Par. II. Tab. XCVII. num.* 1. *pag.* 162.

tu in patriam fraudati sunt. Siquidem in Moesia a Nymphis iuxta Cion, flumenque Ascanium raptus est, quem dum Hercules, & Polyphemus requirunt, vento rapta navi deserti sunt [1]. Palliolo pone dorsum tegitur, ac dextera arundinem, sinistra situlam, vel aliud vasculum gerit, quibus actio ad flumen peracta ostendatur. Nymphae tres ipsum ablaturae hinc inde adstant, & manibus fortiter tenent. Quatuor Genii accensis facibus insuper heic habentur, quibus forte Herculis, & Polyphemi in eo perquirendo anxietates, & curae designantur; Ipsos enim referri puto duabus illis figuris, quae nudae, & palliolo ad dorsum reiecto dumtaxat indutae, tamquam ad auxilium praestandum paratae conspiciuntur. Quid sibi velint aves escam pascentes, quae inter earum crura aspiciuntur, nisi parerga dixeris, divinare non ausim. Hylas a duabus Nymphis raptus cernitur etiam, Winckelmannio teste [2], in monumento Albanio Herculis expiationem exprimente, quod illustravit Corsinius [3]; quod tamen eumdem praeterisse animadvertit. Neque dissimili ratione hoc ipsum expressum deprehendes in vase, quod insculptum fuit in anaglypho zophori, quod adhuc superest una cum tribus columnis, aedis Iovis fulminatoris in Foro Boario [4]. Tum illud habes in monumento altero Aedium Albaniarum ad quatuor fontes [5], & in Picturis Herculanensibus [6]; atque in omnibus hisce monumentis Hylas adolescens fingitur, non puer, qualem proinde statuerunt contra fabulae sensum, qui celebre Vaticanum Herculis Signum (quod alii Commodum referre arbitrantur) Hylam gestare contendunt [7], pro quo Aiacem puerum, & Talamonis filium, cuius ortum Hercules patri praedixerat, reposuit Winckelmannius [8].

(1) *Hyginus Fab.* 14.
(2) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Par. I. pag.* 89.
(3) *Hercul. expiat. pag.* 41.
(4) *Romanum Museum Tom. II. Sect. III. Tab. III. pag.* 4.
(5) *Ciampin. veter. Monimen. Tom. I. pag.* 60.
(6) *Pitture d' Ercolano Tom. IV. Tav. VI. pag.* 29.
(7) *Venuti Num. Alban. Vatic. Tab.* 118., *& Vaillant Num. Mus. de Champs pag.* 63.
(8) *Monum. antichi inediti Tom. I., Trattat. prelim. Cap. IV. pag. XCIX.*

CLAS-

CLASSIS VI.

QUAE CONTINET

MONUMENTA GRAECA POST BELLUM TROIANUM.



TAB. XXXII.

PELEI ET TETHYDIS (*) NUPTIAE.

HOc Anaglyphum, quod eſt in Cavaedio domus Matthaeianae ad Circum Flaminium, a Bellorio (1) editum iam fuerat, atque ex eo iterum a Montfauconio (2) prolatum, neque tamen ad marmoris fidem. Primus tamquam explicatu difficile idem propoſuit, alter vero Martis, & Veneris adulterium in eo expreſſum, miratus Bellorii dormitationem, facile deſignavit; quemadmodum Spenceius (3), qui alterum edidit propemodum ſimile, a nobis etiam inferius adducendum, Martis, & Nerienis nuptias in illo ſculptas agnovit, utrumque vero tandem Pelei, & Tethydis nuptias exhibere contendit Winckelmannius (4), cui nos facile ſubſcribimus. Nota harum nuptiarum narratio, notaque Tethydis fata a Parcis praefata, quibus naſciturus ex ea filius maior patre praenunciabatur (5). Quamquam haec omnes laterent, Iovem forte non latuerunt, cui iam ipſius amore capto Tethydem haec aperuiſſe quidam cenſuerunt; etſi Prometheum, quem certe non latuerunt, Iovi, qui ipſum dein pro praemio a catenis, & ab aquilae ſupplicio liberavit, haec patefeciſſe, eumdemque a nuptiis cum Tethyde contrahendis avocaſſe, fabulae doceant. Quare Iuppiter, ne Saturni patris vices ſubiret, ſe ab hiſce nuptiis temperavit, quas Peleo Aeaci, & Endeidis filio, eiuſque nepoti (Aeacus enim ex Iove, & Aegina natus fuerat) facile, libenterque reſignavit; etſi tamen Tethys aegre ferret immortalis Numinis amores cum mortalis hominis, qualis erat Peleus Aeaci ſemine ſatus, amoribus commutare. Quare ut eius connu-

(*) Heſiodo Τῆθυς eſt, Θέτις Homero. Libuit vero nobis Heſiodum, qui vetuſtior cenſetur, heic nunc ſequi.

(1) *Admirand. Vrbis Romae Tab. XXIV.*

(2) *Antiq. explic. Tom. I. Part. II. Tab. XLVIII. pag.* 100.

(3) *Polymet. Dial. 7. pag.* 8.

(4) *Monument. antichi inediti Vol. II. Part. II. Sez. II. Cap. I. pag.* 145.

(5) *Lucian. Dialog. Prometh., & Iov.*

nubium ipſa auſugeret, in varias animantium formas ſe convertebat, & tigridis ſpeciem tandem aſſumpſit, cum primum in eius amplexus Peleus properavit. Has vero μεταμορφώσεις pertaeſus Peleus Protei, ſi Ovidium, Neptuni, ſi Statii Scholiaſtem ſequamur, opem petiit, qui ex marinis aquis emergens eumdem monuit, ut Tethydem per inſidias conveniret, dum meridiani aeſtus tempore in antro cubaret quieti, & ſomno indulgens, eamque revinctam vi detineret, in quaſcumque ſe tandem formas converteret. Hoc cum peregiſſet Peleus, & imparem ſe Tethys eius viribus agnoviſſet, victas manus dedit, Peleoque corporis ſui poteſtatem fecit, ex quo dein facta gravida Achillem patre maiorem enixa eſt. Peleus ergo heic conſpicitur nudus, armatus galea, clypeo, & haſta, quam ſiniſtra manu gerit, barba inſtructus, eaque vultus ſpecie, ut peculiarem virum heic exprimi per ipſum nonnulli contendant, alii nempe Martem, alii Gallienum Auguſtum, alii denique defunctum, cuius ſarcophago hoc anaglyphum iam antea adhaerebat [1]. Hinc prope Peleum adſtant tres Genioli, quorum unus ipſius haſtam tenet ad cuſpidem, alteri dextera manu innititur idem Peleus, tertio tandem buccinum inflante. Quare ipſius dexterum pedem Tethydis pedibus ſuperimponens iam factus voti compos apparet. Iacet interim Tethys, prope quam arbor ſurgit, qua antri locus deſignatur, ſiniſtra manu caput ſuſtentans, dexteramque eidem ſuperimponens, qualis ſolet eſſe dormientium habitus. Hinc in Graeco epigrammate [2]:

Κεῖτο περὶ κροτάφων πῆχυν ελιξαμένη.

Iacet circa caput brachium advolvens.

Dein Amorculus ſupra Tethydis crus dexterum innixus recubat ſomnum captans. Ad pedes Tethydis monſtrum, ſerpentis ſpeciem referens, cernitur, cum & in Cipſeli arca, teſte Pauſania [3], expreſſa ſit Tethys manu altera anguem in Peleum immittens. Superſtat Tethydi ſenex barbatus, pallio amictus, & ſupra ventrem cinctus, quem vel Prometheum, quaſi Solem referentem, inter quos multa communia iuxta Euſtathium [4], neque ipſo Titanis nomine excepto, quod Prometheo Sophocles [5], & Euripides [6] tribuerunt; exprimente proinde Prometheo meridianum tempus, quo Pelei acceſſus ad Tethydem contigit: vel Morpheum

(1) *Winckelmann. loc. cit. pag.* 150.
(2) *Apud Ruhnken. Epiſt. crit. I. pag.* 40.
(3) *Lib. V. Eliac. I.*
(4) *In Odyſs.* Θ. *pag.* 1598. *l.* 60.
(5) *Oedip. Colon. verſ.* 55.
(6) *Ion. verſ.* 455.

pheum potius cum Winckelmannio [1] inſcripſeris, ſic ſuadentibus binis alis ad caput, quales gerere ſolet Mercurius, aliaque praegrandi, veluti papilionis, ad humerum appoſita, ut & in aliis monumentis cernere eſt, tum & cratere, quem ſiniſtra manu gerit, quemque ſomnifero liquore plenum fingere iuvat. Iacet proxima Tethydi, cornucopiae ſuſtentans Tellus, cui ad humerum caper etiam proſtat, ut terram, quae huius facinoris ſcena exſtitit, etſi hoc ad marina Numina pertineat, deſignet. Gamelia inſuper Numina hiſce nuptiis interfuiſſe, ex fabulis conſtat. Quare ſuperne ſedens in throno, Geniolo adſtante, conſpicitur Iuno haſta armata, quae χρυσόθρονος, *aureo ſolio decora* ſaepe ab Homero ſalutatur, & *cui* preſertim *vincla iugalia curae* iuxta Virgilium [2]. Templum columnis ornatum dein occurrit, quod an Neptuno, ceteriſque marinis Diis, an Diis nuptialibus ſacrum dixerim, ignoro. Succedit hinc Vulcanus face inſtructus, quam nimirum ab illo praeferri in nuptiis innuit Euripides [3]. Quid ſibi velit caper, qui prope ipſum expreſſus eſt, non aſſequor. Haec ſiniſtram marmoris partem occupant; nunc ad dexteram veniendum. Superne Sol cernitur quadriga vectus, cui puer face inſtructus antecedit, quo nuptiarum tempus meridianum, quod & ſuperius deſignavimus, denotetur; quamquam Ovidius [4] Solem iam ad occaſum converſum deſcribat:

Pronus erat Titan, inclinatoque petebat
Heſperium timone fretum.

Pone Peleum ſtat ſenex barbatus, comaque inſtructus, qualis marinis Diis tribui conſuevit [5], ac inſuper buccinum ſiniſtra manu gerens, qui forte Proteus, ſollicitus de exitu, quem ipſius conſilium Peleo impertitum conſequeretur. Infra Solis currum ſtat Dea ſeminuda, velo circa caput religata, quae Amphitrite forte eſt uxor Oceani; ceterum caput recens additum eſt, vetere temporis iniuria deperdito. Retro vero figura altera conſpicitur, quam marinam aliquam Nympham Amphitriti famulantem dixeris. Inferne vero iacet Nereus Tethydis pater, cui phaſelo vectus adnatat puerulus, alter vero buccinum ſuſtentat, quod, peractis nuptiis, Nereus inſonet. Sed iam ad alterum Anaglyphum, quod idem exhibet argumentum, procedamus.

TAB.

(1) *Loc. cit. pag.* 147.
(2) *Aeneid. Lib. IV. verſ.* 59.
(3) *Troad. verſ.* 343.
(4) *Metamor. Lib. XI. verſ.* 257.
(5) *Apollon. Argon. Lib. I. verſ.* 1312.

TAB. XXXIII.
PELEI ET TETHYDIS NUPTIAE.

IAm procedit alterum aedium Matthaeiarum Anaglyphum longe plenius, & insignius, quod expositas iam Pelei, & Tethydis nuptias repraesentat, quodque & a Spenceio Anglo (1), etsi minus exacte, & a Winckelmannio (2), sane accuratissime adductum antea significavimus. Fabulae protagonista Peleus primus in scenam vocetur, atque is describatur, qualis heic conspicitur, galea scilicet, gladio, hasta, & clypeo armatus, & palliolo ad dexterum humerum tectus. Ad Pelei pedes adstat leo, & prope Tethydis caput capra, ut animantium formae, quas Tethys a Pelei aggressionibus se ereptura accepit, innuantur. Testis enim est Pindarus (3), ipsam & leoninam formam adsumpsisse; etsi in serpentem se commutasse, ex Pausania (4) superius adnotaverimus, tum etiam se vertisse in sepiam piscem, Tzetzes (5) prodiderit. Iacet Tethys eo modo reclinata, qualem superius descripsimus, ac Peleus dexterum pedem Tethydis pedibus superimponens se iam Nympha potitum modesta significatione indicit. Ceterum videas Amorculum, qui hastam tenet, ipsum quasi ad amplexandam Tethydem pertrahere, dum alter, quem Anterotem dixeris, quique Tethydi favebat, crure ipsum abducere videtur. Interim vero Genius alter aliger, quasi somnum captans super Tethydis latus recubat. Senex vero, qui Tethydi superstat, non alius, si Winckelmannium audiamus, censendus est, quam Morpheus somni praeses, qui barbatus cernitur, alis ad caput insignitus, aliaque papillionis ala ad dexterum humerum praeditus, tum cornua somnifera gerens, quorum unum effundit supra Tethydem, ut liquore narcotico aspersam dormitantem, & fugae impotem reddat, alterum erectum tenet; quandoquidem duo cornua Somno, ac Morpheo tribuuntur, quorum uno divina, altero terrestria, ac materialia somnia contineri credebatur. Sinistra quoque manu clepsydram tenet, ea ratione conformatam, quam describit Apuleius (6), scilicet *ad dicendi spatium vasculum quoddam in vicem coli graciliter fistula-*

(1) *Loc. cit.*
(2) *Loc. cit.*, & *num.* 110. *Vol. I.*
(3) *Nem.* 4. *vers.* 101.
(4) *Lib. V.*
(5) *Chil. Lib. II. vers.* 657., & *Schol. in Lycoph. pag.* 24., & 26.
(6) *Metamor. Lib. III. pag.* 75.

ſtulato, ac per hoc guttatim deſtua infuſa aqua. Ὡρολόγιον *horologium* tamen, quod apud Athenaeum [1] Bato, novae Tragoediae ſcriptor apud Graecos, primus nominat, quodque pluribus poſt Tethydem ſaeculis inventum fuit (etſi apud Sinenſes [2] iam multo antea innotuiſſet) dum anachroniſmum inducit, in ſculptorum operibus non infrequens, neque culpandum, temporis opportunitatem a Morpheo adamuſſim nactam deſignat. Ceterum huic horologii formae noſtro hoc Anaglypho nunc primum antiquitatis notam comparatam deprehendimus. Ad Tethydem converſa iacet Tellus ſpiceam coronam gerens, tum & abundantiae cornu ſuſtinens, Geniolo quinetiam manu eidem admoventi. Haec nimirum apponitur, ut peractae in ſolo nuptiae a Diis ſali incolis innuantur. Quandoquidem vero Superis omnibus adſtantibus connubium hoc celebratum fabulae tradunt, hinc eorum nonnullos heic expreſſos videas. Iunonem primum haſta armatam, & ſolium conſcenſam cernas, quae *Cinxiae* nomine in nuptiis invocabatur, Geniolo ad pedes adſurgente. Hebe eiuſdem filia forte adſtat proxima, craterem porrigens ambroſiae plenum, qua Dii potabantur. Succedit Pallas incumbens oleae eidem ſacrae; tum venit Vulcanus, quem & ſuperius taediferum in nuptiis deſignavimus; dein Bacchus procedit ſiniſtra manu haſtam, ſeu thyrſum gerens, & alteram manum capiti ſuperimponens; dum interim retro cernitur figura muliebris diademate, ſeu vitta capite redimita, quae a Winckelmannio Leucothoe, ſeu Ino Bacchi nutrix, cenſetur, quaeque divinitatem & ipſa a marinis undis conſequuta nubentem marinam Nympham honorat. Pone Peleum Deorum linea altera ſequitur, quorum dux Apollo citharoedus; tum eidem proxima eſt Diana pharetrae geſtatione conſpicua; ac dein Mercurius ſuccedit petaſo, ſed ἀπτερωτῷ, tum & caduceo inſignitus. Diademate, & peplo inſignis Dea lineam claudit, quam Proſerpinam ſuſpicatur Winckelmannius. Inferne vero ſedet Proteus coma decorus, naviſque gubernaculum tenens, cui marinum monſtrum proximum cernitur, quique conſilii ſui exitum praeſtolatur. Nereus Tethydis pater inferius iacet, buccinum paratum tenens, quo nuptias peractas celebret. Poſtrema vero omnium venit Amphitrite Oceani uxor, cuius caput maiae chelis ornatur, palmam, forte Pelei laborum praemium, vel victoriae ſignum, dextera manu gerit, urnamque

(1) *Deipnoſoph. Lib. IV. pag.* 163.

(2) *Bayer. Muſ. Sinic. Tom. II. pag.* 336., *& eiuſd. Hiſtor. Bactrian. pag.* 148.

que demum, qua Oceanus innuatur, ad pedes habet. Supra Amphitritis caput tandem Zodiaci pars expressa habetur, conspicuis praesertim librae, & scorpionis signis, quorum primum, quod medium locum tenet, forte octobrem mensem designat, iuxta Ausonium [1]:

Autumni reserat portas, aequatque diurna
Tempora nocturnis disperso sidere libra;

ut nempe harum nuptiarum tempus demonstretur. Alias horum signorum significationes pete a Winckelmannio; quid enim iuvat heic verisimilitudines verisimilitudinibus superaddere? Qui vero has nuptias alibi expressas intueri cuperet, adeat Begerium [2], tum consulat Passerium [3] Etruscam pateram a Dempsterio adductam illustrantem, in qua exprimitur Peleus veterum Heroum more Tethydem sibi in uxorem raptu vindicans, prodente coniugem utrumque Etrusca epigraphe ƎꓶƎ1 *Pele*, & ƧIOΘƎO *Tethis*; dum interim territa aufugit marina Nympha altera *Perseis*, quae heic forte ab Etruscis deformata dicitur ꓤOVƧꓤꓤ1 *Parsupha*, vel ut Passerio legere lubet, *Parsura*, quamque Hesiodus [4] inter ceteras marinas Nymphas enumerat, quae Ὠκεανοῦ, καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο, *Oceano*, & *Tethyde prognatae sunt*, cum nimirum Tethys iam antea coniuncta Oceano magnam Nympharum sobolem peperisset. Ceterum & alteram Nympham loci indigenam intelligi heic posse comminiscitur Passerius, Genium nempe loci *Pharsalos*, ubi raptus contigisse fingitur, quod nempe ex eius sententia magna sit inter utrumque *Pharsalos*, & *Pharsura* nomen affinitas.

TAB. XXXIV.
ANTILOCHUS PATROCLI MORTEM ACHILLI NUNCIANS.

DUm Achilles moras in castris necteret, Patroclum Hector interemit, atque Antilochus Nestoris filius, utpote νεώτερος Ἀχαιῶν, *iunior Achivorum*, & ποσὶν θάσσων, *pedibus velocior* [5] a Menelao ad Achillem mittitur, ὅτι οἱ φίλος ἦεν ἑταῖρος, *quod sibi dilectus erat sodalis* [6], Patrocli, quem etiam tamquam ἠθείην κεφαλὴν *frater-*

(1) *Eclog.*
(2) *Spicileg. Antiq. pag.* 131.
(3) *In Thomae Dempsterii Libros de Etruria regali Paralipomena, Tab. XCI. pag.* 143.
(4) *Theogon. vers.* 356.
(5) *Homer. Iliad. O. vers.* 570. *Vid. & Iliad. Σ. vers.* 15., *& seqq.*
(6) *Iliad. Ψ. vers.* 556.

ternum caput [1] diligebat, trifte mortis nuncium allaturus. Vides quapropter Antilochum decuffatis cruribus ftantem, qui eft maerentium habitus; hincque, Philoftrato tefte [2], non aliter picti erant bellicofi Graeci circa ipfius Antilochi cadaver funus facientes, qui nimirum ἐναλλάττουσι τὼ πόδε, *alternant pedes*. Tum finiftra manu, qua Antilochus cippo incumbit, caput fuftentat, & dexteram Achilli porrigit. Nec diffimili fere ratione in Polygnoti pictura apud Delphum, quae eamdem exprimit hiftoriam, Antilochum exhibitum fuiffe, narrat Paufanias [3], licet utraque manu caput ibidem fuftentaret. Cerne heic interim Achillem ita ad luctum ferme compofitum, quemadmodum defcribit Homerus [4]:

. . . . . . Τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ἤσχυνε πρόσωπον.
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ἤσχυνε δαΐζων.

. . . . . . *Illum vero doloris nubes obtexit nigra:*
Ambabus autem vero manibus fublatos cineres
Fudit fuper caput, venuftamque deturpabat faciem:
Divinae autem tunicae niger undique adhaefit cinis.
Ipfe vero in pulveribus ingens ingenti fpatio porrectus
Iacebat, fuifque manibus comam deturpabat fcindens.

Ceterum fedet heic Achilles maerore plenus, & velo fupra caput obtectus, tum & utraque manu caput ipfum fuftinet. Pone eum cernitur Phoenix γέρων ἱππηλάτα, *fenex eques* [5], Achillis praeceptor, galea, & thorace inftructus, qui ipfum iam ad pacem cum Agamemnone hortatus fuerat, ac Heros alter galea, & hafta armatus, tum duae infuper mulieres ftola indutae, Phrygiaque mitella ornatae, forte Φόρβαντος θυγάτηρ Διομήδη καλλιπάρῃος, *Phorbantis filia Diomede pulchra genas*, & Ἶφις εὔζωνος, *Iphis eleganter cincta* [6], quas Achilles, & Patroclus captivas fecerant, quaeque nimirum, tefte Homero [7],

Θυμὸν ἀκηχέμεναι μεγάλ' ἴαχον, ἐκ δὲ θύραζε

Ἔδρα-

(1) *Ibid. verf.* 94.
(2) *Lib. II. Icon.* 7. *pag.* 821.
(3) *Lib. X. pag.* 875.
(4) *Iliad. Σ. verf.* 22.
(5) *Iliad. I. verf.* 432.
(6) *Ibid. verf.* 661., & 663.
(7) *Iliad. Σ. verf.* 23., & 29.

Ἔδραμον ἀμφ' Ἀχιλῆα δαΐφρονα· χερσὶ δὲ πᾶσαι
Στήθεα πεπλήγοντο, λύθεν δ' ὕπο γυῖα ἑκάστης.

Animo triſtatae altum eiulabant, & foras
Procurrebant circum Achillem bellicoſum: manibus vero omnes
Pectora plangebant, reſolutaque ſunt membra cuiuſque.

Siquidem nondum Βρισηῒς ἰκέλη χρυσῇ Ἀφροδίτῃ, *Briſeis ſimilis aureae Veneri* (1) Achilli reddita ab Agamemnone fuerat, ut heic a nobis ſtatui nunc poſſit inter ancillas collacrimantes. Sculptor Antilochum in marmore ſeniorem finxit, quam eius tulerit aetas, cum eius pater Neſtor ipſum non advocaverit ad Ilium, niſi quinto belli anno; neque Antilochus ipſe, cum Graeci illuc acceſſerunt, pubertatem adhuc attigerat (2). Idem fere argumentum, ſed ſimplicius, occurrit in Gemma anaglyptica, quam adduxit Winckelmannius (3); qui & noſtrum monumentum, hac nacta occaſione, ſimul exhibuit (4). Huius vero ectypus, quem ipſe improbat tamquam a ſe viſum, & a prototypi fide abſonum, haud in noſtras Tabulas irrepere potuit.

TAB. XXXV.

FIG. I.

POLYDORUS POLYMNESTORI THRACIAE REGI CREDITUS.

SEdet heic Polymneſtor Thraciae Rex, cui retro adſtant duo milites clypeis, & haſtis inſtructi, forte σωματοφυλάκες, qui Spatharii apud Graecos mediae aetatis dicti ſunt, quos poſtremi Romanorum Imperatores *protectores domeſticos* (5) dixerant, ſequiores autem Latini *armigeros*, quod enſem, ſeu haſtam, aliaque arma ad principis corpus tuendum geſtarent. Sceptrigero Regi Polydorus infans traditur iuſſu Priami, qui vel in ſene barbato heic adſtante agnoſcendus, vel potius cuſtos, & dux Polydori in eo expreſſus dicendus eſt. Nutrix quin etiam adeſſe videtur, quae puerum teneat, & exhibeat. Hinc alii proxime ſequuntur, & nudi, & chlamydati, & ſagati, ac tandem ſtolata femina, qui omnes forte vel in aula Regis, vel in comitatu Po-

(1) *Iliad.* T. *verſ.* 282.
(2) *Philoſtr. Heroic. Cap. III.* §. 2. *pag.* 697.
(3) *Monumenti antichi inediti Tom. I. num.* 129., *e Tom. II. Part. II. Cap. XI. pag.* 170.
(4) *Ivi num.* 130. *del Tom. I.*, *e pag.* 171. *del Tom. II.*
(5) *Vid. Panciroll. in Notit. Imper. Oriental. cap.* 89.

Polydori censendi sunt. Verum Polymnestor tandem proditorio modo Polydorum trucidavit, & avaritiae stimulis percitus hospitium turpiter polluit. Paucis rem narrat Virgilius [1], quem nunc iuvat audire:

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio Regi; cum iam diffideret armis
Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

TAB. EADEM.

FIG. II.

PROVINCIA A ROMANIS VICTA.

CUrulem sedem cum suppedaneo calcans cernitur Consul, vel alius quilibet Magistratus Romanorum, cui procumbit in genua senex catenis manus revinctus, cuique lugentem, & captivam mulierem commendare videtur. Agnoscas heic Provinciam aliquam, forte Orientalem, ita indigitante palmae arbore, quae seorsim adsurgit. Sago, galea, & hasta armatus miles, & σωματοφύλαξ, *custos corporis*, pone Consulis sedem stans & ipsam, & eius forte oratorem Consulis pedibus advolutum attente intuetur. Tabellam proxime quis affert, cui figura aliqua insculpta cernitur, qua forte Numen tutelare devictae Provinciae a Quiritibus evocatum [2] exprimitur; adstante insuper milite altero sago, & galea instructo. Caelator haec nos adegit modo veluti extra chorum adducere, quae quidem alibi collocanda fuissent.

(1) *Aeneid. Lib. III. vers. 49., & seqq.*
(2) *Vide Casti Innocentii Ansaldii de Romana tutelarium Deorum in oppugnationibus Urbium evocatione Librum singularem; & Georgium Wonnam Dissert. de Ara ignoti Dei Cap. III. §. 23.*

TAB.

Tab. XXXVI.

FIG. I.

PUERI ET PUELLAE LUDENTES.

ITerum Caelatori morem gerimus, dum haec etiam extra locum nunc describenda aggredimur. Cerne heic ergo primum duos pueros planum inclinatum parantes, vel quid aliud, quo saltum conficiant. Duo alii globulos ligneos aliis globulis trudere inter se videntur. Tandem puer alter pilam, seu globulum manibus gerens eumdem ludum cum duabus puellis instituit. Verum haec levia.

Tab. EADEM.

FIG. II.

IMPERATOR ROMANUS ALLOQUITUR. PRIAMUS OCCIDITUR.

MAngonis Marmorarii imperitia factum est, ut duo anaglyptica fragmenta in unum coaluerint, Romanaque Graecis permixta idcirco proponamus, & illustremus uno tempore. Duplex hoc monumentum superstat portae architriclinii aedium Matthaeiarum ad Circum Flaminium, cuius pars prima exhibet Romanum Imperatorem sellae, solioque insidentem, pallio insignitum, volumen dextera manu tenentem, alteraque gestientem, utpote qui Consulem, vel alium Magistratum eius mandata capessentem alloqui videatur. Pone Imperatorem, quem nonnulli Traianum Decium, forte aliquid contra Scythas, quos multis praeliis vicit, solemni concione decernentem, censuerunt, adstat miles corporis custos, sago, galea, & hasta armatus, cui alios similes in superioribus etiam monumentis designavimus. Habes in secunda monumenti parte Priamum in genua provolutum ante aram Iovis Hercei, ubi ipsum ense interemit Pyrrhus, Achillis ex Deidamia filius, qui Neoptolemus dictus est, cum mortuo patre ad bellum Troianum adductus est. Hic galea, clypeo, hastaque armatus sinistra manu caput Priami tenet, dextera hastam in eius latus immissurus. Pallio Priamus amicitur, & letiferum vulnus veluti Deo-

rum

rum ultionem precatus exſpectat, vel etiam malae in ſe ipſum ſorti indignatur,

Cui nihil Hercei profuit ara Iovis (1).

Sic nimirum a Virgilio Pyrrhi in Priamum facinus deſcribitur (2), quod eadem etiam ratione heic exprimitur:

. . . . Altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam laeva: dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.

Phrygio, ac militari habitu inſtructi duo ex Danaorum caſtris Pyrrhum comitantur.

CLASSIS VII.

QUAE CONTINET

MONUMENTA ROMANA HISTORICA.



TAB. XXXVII.

FIG. I.

VETURIA ET CORIOLANUS.



AD Romanorum Monumenta hiſtoricas narrationes, actioneſque exprimentia progredientes, duo inprimis Anaglypha heic ſtatuimus, quae ſeptentrionalem murum Muſei Clementini Vaticani nunc ornant. Videas in primo Veturiam ſtolatam, manu tenentem, & deprecantem Caium Marcium Coriolanum eius filium, ſago, galea, clypeo, & enſe armatum, ut a patriae oppugnatione ſe temperaret, qui nimirum, poſtquam de Romana Republica optime eſſet meritus, iniquiſſimae damnationis ruina proſtratus ad Volſcos infeſtos tunc Romanis confugerat, cuiuſque ductu aditus iuxta moenia Urbis Volſco militi ſtruebatur (3). Tiber inferne urnae aquam effundenti incumbens iacet. Superne ſaxo inſidet ſenex, vel forte paſtor

(1) *Ovid. in Ibin verſ.* 284.

(2) *Aeneid. Lib. II. verſ.* 550.

(3) *Valer. Max. Lib. V. cap.* 4.

ſtor aliquis arborem dextera tenens, quo innuatur Volſcorum campus, ad quem Veturia profecta eſt, vel locus ad quartum ab Urbe lapidem via Latina, ubi Volſcorum caſtra poſita erant, & ubi deinde templum Fortunae muliebri exſtructum fuit. Huc etiam ſpectant rupes, hirci, & arbor, quibus Veturia ſuperſtat. Aliis pro Veturia matre Volumniam eius uxorem agnoſcere lubet. Sic enim exponunt Hortorum Pincianorum Burgheſiae gentis Anaglyphum, quod aere inſculptum adducunt Iacobus Gronovius (1), Franciſcus Ficoronius (2), & Wibrandus Geeſtius Anglus (3); quamquam Winckelmannius (4) & Martem, & Venerem capitibus numquam abſciſſis, & ad viventium coniugum quorumdam imaginem expreſſis ibidem agnoſcere malit. Exſtant nunc etiam in Muſeo Capitolino ſtatuae duae coniunctae, &, teſte Nicolao Galeotio (5) anno CIƆIƆCCL. in Inſula Tiberina repertae, altera viri nudati, galeati, atque haſtati, cum thorace ad eius pedes, altera mulieris tunica indutae, viri humero ſuperponentis ſiniſtram manum, dexteramque ſuam eius pectori admoventis; in quibus proinde Veturia Coriolanum placans agnita eſt. Memorare heic inſuper iuvat veterem Picturam ex Thermis Titi exceptam pennicillo Hannibalis Caraccii, quam dein ex hoc ipſo exemplari in Muſeo Victorio adſervato edidit Ioh. Petrus Bellorius (6), quaeque nimirum expoſitam nuper Veturiae ad Coriolanum allocutionem exhibet. Totam iconem eleganter deſcribit Bellorius, tum iterum aere inſculptam recens protulit Ludovicus Mirrius in veterum Picturarum collectione, quas in ſubterraneis earumdem Thermarum cubiculis elapſo anno detexit, moxque in publicam lucem edendas ſuſcepit (7).

(1) *Antiq. Graec. Tom. II. num.* 76.

(2) *Veſtigia, e rarità di Roma antica Lib. I. Cap. V. pag.* 19., *e* 20.

(3) *Het Kabinet der Statuen, t' Amſterdam* 1702. *pag.* 24.

(4) *Monument. antichi inediti Vol. I. Prefaz. pag.* 23.

(5) *Monumenta vetera memoria Franc. Ficoronii reperta*, poſt *Gemm. antiq. litteratas* eiuſdem *pagina* 140.

(6) *Pictur. veter. in Crypt. Roman. Tab. II.*

(7) *Vid. Le antiche Camere delle Terme di Tito, e le loro Pitture; in Roma* 1776. §. *XXIV. pag. L., & LI.*

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

NATALE ROMULI ET REMI.

IAm ſuperius [1] innuimus Martis concubitum cum Ilia, ſeu Rhea Silvia Numitoris filia, & Veſtae Sacerdote, quae inde duos peperit filios, Romulum, & Remum primos Urbis fundatores. Cum vero mater perpetuae caſtitatis votum, quo ſe ſacerdotio obſtrinxerat, violaſſet, & criminis poenas dediſſet, filii quinetiam in Tiberim mergi iuſſi ſunt. Hos ad amnis ripam expoſitos regiorum armentorum paſtor Fauſtulus deprehendit, atque ad Accam Laurentiam eius uxorem, quae vulgato corpore inter paſtores lupa audiebat, nutriendos detulit, etſi fabula lupam iam lambentem pueros Fauſtulum inveniſſe ferat [2]. Quare cernis heic duos paſtores, quorum unus Fauſtulus, quem diximus, alter forte eius ſocius, uterque pedo, ſive curvo baculo inſtructus, quod a Servio [3] *virga incurvata* dicitur, *unde retinentur pecudum pedes*, & a Graecis καλάβροψ, vel potius καλαῦροψ, Homero teſte [4], vel tandem καλαύροπον, ut habet Heſychius [5], vocatur; quodque poſtremo a Suida deſcribitur βουκολικὴ ῥάβδος, βαρυτέρα οὖσα τῇ κεφαλῇ ἀπὸ τοῦ κάτω ῥέπειν, *paſtoralis virgula, quae cum ſit gravior capite, inferius decidit*. Uterque etiam admiratione percitus conſpicitur, & uterque pileo donatur, quo caret alter in Ara Vulcani Hortorum Caſalium, nunc Muſei Vaticani, ut inde alterum ab altero pendere innueretur, teſte Cl. Orlandio, qui illam erudite illuſtravit, quique etiam ad hoc noſtrum Anaglyphum provocavit [6]. Inferne vero ſub antro, quod Lupercal dictum eſt, & ex quo dein Comitium factum eſt, ſecundum viam, qua itur ad Circum, cernitur lupa praebens ubera duobus pueris; qui locus adeo celebris factus eſt, ut templum ei proximum exſtructum fuerit, in quo aeneum ſimulacrum, lupam puerorum nutricem exhibens, ab Aedilibus poſitum eſt, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſe [7], quod dein erutum inter templi rudera ad imam Palatini partem iuxta Forum,

ubi

(1) *Hoc Vol. Claſſ. II. Tab. IX. pag.* 18.
(2) *Liv. Lib. I. cap.* 3. *Vid. Ovid. Faſtor. Lib. III. verſ.* 45., *& ſeqq.*
(3) *Ad Virgil. Ecl. V. verſ.* 88.
(4) *Iliad.* Ψ. *verſ.* 845.
(5) *Lex. hac voce.*
(6) *Ragionamento ſopra un' Ara antica poſſeduta da Monſignor Antonio Caſali Gov. di Roma, Art. XII. pag.* 85., *e* 86.
(7) *Roman. Antiq. Lib. I. pag.* 64.

ubi nunc Divi Theodori templum ſurgit, fama teſtatur, quodque nunc in Palatio Capitolino, quod ad Conſervatores ſpectat, reperitur. Quare, Orlandio teſte [1], toto caelo erraret, qui aeneum alterum huiuſmodi ſimulacrum, in Capitolio olim adſervatum, & ipſo Tullio fidem faciente [2], fulmine tactum, ictu deinceps in lupae femore conſpicuo, idem omnino eſſe cenſeret. Non deſunt alia ſimulacra, ſive anaglypha, quae eamdem ſive fabulam, ſive hiſtoriam repraeſentant; nam praeter illud, quod in Ara Vulcani ſuperius deſignavimus, duo alia habes apud Montfauconium [3], & Gronovium [4]; quemadmodum Gemma Muſei Barberinii eodem ſchemate ornata a Cauſeio [5], & Nummus Pompeiae gentis ab Urſinio [6], Morellio [7], ceteriſque adducitur. Tandem monendus Lector, hoc noſtrum Anaglyphum nunc ad externam Muſei Clementini Vaticani parietem affixum fuiſſe.

Tab. XXXVIII.
SACRIFICIUM CAPITOLINUM.



Edes, & porticus, quas columnis, & coronis ornatas heic conſpicis, forte templum Iovis Capitolini ex aliquorum ſententia produnt, etſi nec Dionyſii Halicarnaſſenſis [8] deſcriptioni, nec duobus, vel etiam tribus inter ſe diverſis eiuſdem typis, quos ex nummis Petiliae gentis, Vitellii, & Domitiani adduximus in Opere Belloriano [9], reſpondeant. Ceterum id iam receptum eſt apud antiquitatis ſtudioſos, nec vetera monumenta ſemper adamuſſim aedificiorum icones dediſſe, neque eadem aedificia eamdem ſemper vel formam, vel frontem ſaltem praeſetuliſſe, cum ſaepe & ornamenta, & reparationes accederent, quibus & forma, & frons immutaretur. Certum vero eſt, Iovi Capitolino, qui & Iuppiter optimus maximus dicebatur, bovis ſacrificium perſolutum fuiſſe, teſte Servio [10], qui ait: *Vacca ſimul, & taurus auratis cornibus Iovi Capitolino immolabatur*; & Tacito [11] quinetiam, apud quem legitur: *Tum Helvidius Priſcus praetor, luſtra-*

ta

(1) *Loc. cit.*
(2) *De Divinat. Lib. II. cap. 20.*
(3) *Antiq. explic. Tom. I. Par. I. Tab. 192. num. 7. pag. 294.*
(4) *Antiq. Graec. Tom. II. num. 25.*
(5) *Roman. Muſ. Tom. I. Sect. I. Tab. L. pag. 33.*
(6) *Famil. Roman. num. 3.*
(7) *Tab. III. num. V. pag. 342.*
(8) *Roman. Antiq. Lib. III.*
(9) *Fragmenta veſtigii veteris Romae Tab. IV. pag. 26. adnot. 42.*
(10) *Aeneid. IX. verſ. 627.*
(11) *Hiſt. Lib. IV. cap. 53. §. 4.*

ia suovetaurilibus ara, *Iovem precatus*. Quare vides heic bovem ad sacrificium deduci a duobus victimariis coronatis, quales semper esse decebat sacra facientes, quorum alter securi, qua bovem caedat, armatus cernitur. Bos quoque coronatus cernitur, siquidem victima quinetiam corona distinguebatur; & idcirco στεφανήφορος a Lycophrone (1) dicta est, nec aliter ab Ovidio (2) describitur:

Victima labe carens, & praestantissima forma
(Nam iacuisse nocet) vittis praesignis, & auro
Sistitur ante aras.

Boves insuper, vittis, sertisque redimitos ad sacrificium ductos in triumpho Macedonico Paulli Aemilii memorat Plutarchus (3). Duo alii sacrificio adstant pallio, & coronis distincti, quorum unus tibiam inflat, alter intentus ad sacrificialem apparatum conspicitur.

Tab. XXXIX.

MILITUM PRAETORIANORUM SEDITIO.

PHilippus Titius (4), & Franciscus Ficoronius (5) Militum Praetorianorum seditionem heic agnoverunt, quibus nos in hac rerum incertitudine adhaerere satius duximus. Forte enim ad templum Iovis Capitolini renunciatum aliquem Imperatorem adducunt milites, ut plerumque pecuniarum illecebris commoti agere consueverant. Quare hinc etiam nonnulli censuerunt, heic nunc exhiberi Claudium Imp. ad Praetorium adductum a militibus, ubi templum aderat. Ast nec facies ex nummis cognita Claudium praesefert, nec ullum Praetorii signum heic habetur. His adde IOVI CAPITOLINO inscriptum lemma in templi fronte adhuc conspici, quod tamen num recens additum, ut quidam putant, an sculptum antiquitus fuerit, definire non audeo. Neque tandem ex ectypis, quos in nummis habemus, templi Iovis in Capitolio quidquam certi statui potest, ut ad superiorem Tabulam adnotavimus. Aquila certe, quam Iovi sacram novimus, quaeque in templi parte superiore est, aliquid adminiculi afferre posse videretur; verum

(1) *Vers.* 327.
(2) *Metamorph. XV. vers.* 130.
(3) *Pag.* 273.
(4) *Descrizione delle Pitture, Sculture, e Architetture esposte al pubblico in Roma, Opera cominciata da Filippo Titi da Città di Castello &c. In Roma* 1763. *pag.* 86., *e segg.*
(5) *Le singolarità di Roma moderna Lib. II. Cap. VII. pag.* 63.

rum tanta erant sacra Iovi templa, ut pluribus aliis quinetiam hoc avis stemma applicari potuerit. Sago, clypeo, & galea insignitus cernitur Imperator, quo armaturae genere, ac insuper hasta instructi etiam apparent milites, qui ipsum comitantur. Aquila summae perticae insistens alis expansis cernitur, quod erat totius legionis in Romana militia signum (1), & sub quo solo omnes legiones educebantur, & quo solo pugnabatur; licet apud Persas hoc ipsum signum obtinuisset, teste Xenophonte (2), & apud Graecos quinetiam esset τὸ βασίλαιον σημεῖον ἀετὸς τις ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τῆς πέλτης, *insigne regium aquila aurea in pleta*, ex ipsius Xenophontis (3) fide. Parum vero moramur eos, qui heic templum Iani clausum haberi putarunt, inter quos ipse Venutius; cum praesertim nostrum hoc templi schema minime conveniat cum eo, quod habet nummus apud Mediobarbium (4), & Oisellium (5), nec cum altero, quod praefert nummus a Laevino Torrentio adductus ad Svetonium (6). Sunt tandem, qui triumphum velint, quod ad templum Iovis Capitolini peragebatur; sed desunt coronae laureae, quae adesse consueverant.

TAB. XL.

FIG. I.

VENATIO COMMODI IMP.

EQuo insidens Imperator (qui, licet facie in nummis conspicua haud suffragante, Commodus vulgo censetur), tum & lancea armatus leonem invadit, canibus hinc inde allatrantibus. Certe quidem, Herodiano teste (7), Commodus iaculandi, & pugnandi scientia praestabat, & tela iacere, & certissimis ictibus conficere ex omni terrarum orbe coacta animalia in deliciis habebat; ac praesertim λέοντας, καὶ παρδάλας, ὅσα τε γενναῖα περιθέων, ἄνωθεν κατηκόντιζεν, *leones, & pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia currens in orbem superne iaculis confodiebat*. Cerne prostratum humi a leone hominem, & canem enectum, & quasi huius lanienae miserta Roma ipsa, suorum civium provida nutrix, ac praesens tutela, galeam capite gerens, & parazonium cingens

(1) *Lipsius de Militia Romana Dialog. IV. 3., & 5.*
(2) *Instit. Cyri Lib. VII. Cap. I.*
(3) *Exped. Cyri Lib. I. in fin.*
(4) *Numm. Impp. ad ann. 725.*
(5) *Num. antiq. Vid. Masonium pag. 65.*
(6) *Comment. in Sveton. Lib. II. cap. 22.*
(7) *De Romanor. Impp. vita, Lib. I. cap. XV.*

gens Imperatori ſtimulos addit, ut interfecto leone omnium vitae, & incolumitati proſpiciat. Siquidem ceteri, qui adſtant, nudi praeſertim, & lanceis, enſibuſque muniti, ut & alter equo inſidens, & pallio inſtructus, forte aliquis magiſtratus, in Imperatoris comitatu erant, & ipſius cauſſa periclitabantur.

TAB. EADEM.

FIG. II.

VENATIO PHILIPPI IMP.

SEquitur aliud Anaglyphum, in quo Imperator venationi operam navans adverſus leonem conſpicitur. Hoc a Montfauconio [1] exhibetur, qui Traianum in eo agnoſcit. Alii vero haberi Gallienum putant, ut inferius patebit. Aſt ſi conſulantur nummi, facies Philippum Imp. rei bellicae peritiſſimum heic nobis facile agnoſcendum obiiciet. More enim receptum erat, *ut proficiſcentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent*, teſte Capitolino [2], ut populum ad caedem aſſuefacerent. Quinque comites heic habentur, qui venatorio habitu, ſuccinto nempe, amiciuntur, qualem Oppianus [3] deſignat, χιτῶνα nempe ἐς ἐπιγουνίδα, *tunicam ad genua uſque demiſſam*, ne ſentibus intercepti venatores a curſu retardentur. Ariſtaei venatoris veſtimentorum parſimoniam non aliter quoque Nonnus [4] deſcribit, ad quem provocaſſe ſufficiat. Ceterum Imperatoris comites, quos heic cernis, non una, eademque veſtis forma donantur, quum alii nempe pallio deſuper amiciantur, quo alii carent, tum unus phrygio operiatur pileo, alter galea, ceteri nudo capite conſpiciantur. At ſi Romam Imperatori proximam dixero, ut in antecedenti monumento manifeſtius ſe prodit, rem certe haud abſurdam me dicturum putabo. Vultus enim mollities, & dexterae mammae denudatio id mihi innuere facile videntur. Heic etiam humi prolapſum hominem vides, & equos, & canes hinc inde diſperſos. Winckelmannius [5] memorat hoc Anaglyphum, tamquam Gallienum in venatione exhibens, tum equi pedes in eo recenti ſcalpro inſtauratos animadvertit, ut Fabrettium idcirco obiurget, qui hinc veterem equinorum pedum ferreis ſoleis muniendorum morem temere coniecerat.

TAB.

(1) *Antiq. explic. Tom. III. Par. II. §. VI. Tab. CLXXXIII. pag.* 330.

(2) *In Maxim., & Balbin. cap.* 8.

(3) *Cyneget. Lib. I. verſ.* 97.

(4) *Dionyſ. Lib. V. verſ.* 237.

(5) *Storia dell'arte degli antichi Tom. I.* 1764.

CLASSIS VIII.

QUAE CONTINET

RITUS MORES ET ARTES VETERUM.

TAB. XLI.

SACRIFICIUM IOVI ET IUNONI.

IUppiter fulmine armatus, & nudus pectore columnae superstat, basi vero superstat veneranda Iuno. Ante Numina cernitur Ara accensa rotunda, in cuius fronte anaglyptico opere Amorculus delphino insidens conspicitur. Sacrificulus praetexta caput obtectus pateram manu gerit, qua libationes peragat. Eidem proximi sunt duo alii, forte sacrorum ministri, qui inter se colloquentes videntur. Urnam, sive acerram defert Flaminica, quae Iunoni adhaeret. Dein sequitur mater, praeitque pater, & inter utrumque stat filiola, ob cuius incolumitatem sacrificium peragitur. Eadem quasi iam voti compos domum redit, & manu gerere videtur serpentem, quem alias salutis symbolum designavimus (1).

TAB. XLII.

FIG. I.

SACRIFICIUM IOVI.

IAm superius monuimus (2), olim taurum immolari praesertim Iovi consuevisse. Aram ergo heic conspicis, ad quam libationes peragit patera instructus, ac palliatus Sacerdos, adstantque ceteri sacrorum ministri, quorum nonnulli coronam capite gerunt, alii eadem carent. Horum unus taurum adducit mox Iovi mactandum. Nec desunt Camilli pueri duo, quorum munus iam alias expositum habes priori Volumine (3).

TAB.

(1) *Tom. I. Class. IV. Tab. LVI. pag. 48., Tab. LVII. pag. 49., Tab. LVIII. pag. 51., & Tab. LIX. pag. ead.*

(2) *Tab. XXXVIII. pag. 74.*

(3) *Class. VI. Tab. LXVI. pag. 62.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

TABULA VOTIVA AESCULAPIO HYGIAE FORTUNAE ET BACCHO.



Olumen manu tenet Aesculapius, quo morborum remedia, qualia exhibet Graeca tabella, olim in Insula Tiberina ad Numinis templum reperta (1), contineri videntur. Vides altera ex parte Hygiam vas unguentorum, & volumen pariter gerentem. Inferne ad priorem partem cernitur Fortuna globo, & rotae incumbens. Tum ad alteram Bacchus habetur capillis comptus, thyrso armatus, & nudus ad ventrem. Aesculapio proxima est puella nuda, quae forte Iaso est eius filia; tum Hygiae proximus est puer praetextatus, forte Machaon, quem ipsa una cum Podalirio Aesculapio peperit, utpote quae non filia, sed uxor eiusdem exstiterit (2). Stant interim orantes vir, & uxor, sive pater, & mater, aulaeo post ipsos obducto; Tum inferne adolescens praetextatus cernitur, cui duo Genii velum retro sustinent, & faces erectas tenent, ut proinde & mortis velum suspensum, & vitalis flammae accensio adhuc vivida innuatur; hincque salus eidem Numinum ope donata, & parentum, ac forte etiam sororum, quae hinc inde humi sedent, votis, & precationibus impetrata designetur. Mors enim saepe tamquam nigra nox, quae oculos, vultumque veluti velo operiat, a Poetis describitur; Tum saepe in veterum monumentis occurrunt Genii, qui ipsam referant inversa ad humum face (3), qua ipsa Promethei fax ad flagrantem Solis flammam accensa, & fictos ex luto homines veluti inflammans portendatur, quaque demum extincta, mors ipsa succedere intelligatur.

TAB.

(1) Refert Gruterius *pag. LXXI. num. 1.*; VanDaleius Differt. I. *De Oraculis Ethnic.*, *Amstelodami pag. 100.*, *& seq.*, Mercurialis *de Arte gymnastica Lib. I. Cap. I.*, & M. A. V. N., auctor nempe *Antiq. sacr.*, *& civil. Romanor. explic.*, *Hagae Comitum 1726. Tab. XXIV. pag. 88.* Tum eius latinam versionem adducit Thomasinius *de Donariis Cap. VII. pag. 70.*, Meibomius *de incubatione in fanis Deorum medicinae caussa olim facta §. XXXVI. in Fascic. I. Differt. rarior. de antiqq. sacr.*, *& profan.* (collectore Iul. Carolo Schlaegero) *Helmaestadii 1742 pag. 142.*, & primam eius partem tantum dedit Hansenius *de iureiurand. veterum Cap. XII.*, tum de ea nonnulla delibavit Cl. Mazochius *Spicil. Bibl. Tom. II. pag. 169.*

(2) *Orph. in Hymn.*

(3) Vid. Cl. Bonadam *Carmin. ex antiq. lapid. Differt. VI. pag. 23.*

TAB. XLIII.

FIG. I.

POPAE.

SAcerdotum ministri tres heic occurrunt, qui bovem ad sacrificium ducunt, quique Victimarii, & proprio nomine Popae, a θύτης *sacrificus*, ut ait Salmasius, tum etiam Cultrarii vocabantur. Ad ilia succincti heic etiam occurrunt, ut eorum habitus esse consueverat. Hinc Propertius (1):

Succinctique calent ad nova sacra popae.

Succincti quinetiam dicti sunt ab Ovidio (2), & a Svetonio (3). Cremium, quod gerunt infra umbilicum, proprie *limus* dicebatur. Victimariorum pictura habetur etiam in Columna Traiana Romae, ubi unus verrem, alter arietem ad sacrificium deducit. Victimarii malleo armati signum aeneum adducitur quoque a Paullo Petavio in Francorum curia Consiliario ex suae antiquariae supellectilis portiuncula ab eo edita (4), quod insuper rursus protulit Montfauconius (5). Tandem a Bellorio (6) adducitur Anaglyphum Hortorum Mediceorum, in quo vota publica exprimuntur, atque ibidem victimarii taurum sistunt, & popa securi percutit; Tum etiam in altero (7) apud eumdem cernere est popam, & victimarium ad sacrificium ducentes taurum mitra, & infulis exornatum. In nostro Anaglypho cernitur tandem seorsim ara accensa, qualis innuitur a Virgilio (8):

Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.

Videas hunc ectypum etiam in celebri Romana Virgilii editione, typis Zempelianis, & aere Monaldiniano peracta, ornamenti loco adductum (9).

(1) *Lib. IV. Eleg. I. vers.* 62.
(2) *Fastor. Lib. I. vers.* 319.
(3) *In Calig. cap.* 32. *num.* 8.
(4) *Explication de plusieurs Antiquités recueillies par Paul Petau Conseiller au Parlement de Paris &c. A Amsterdam* 1757. *Tab.* 6., & 7.
(5) *Antiq. explic. Supplem. Tom. II. Lib. IV. Cap. V. num.* 1. *pag.* 81. *Tab. XXIV. num.* 1., & 2.
(6) *Admirand. Vrbis Romae Tab.* 43.
(7) *Ibid. Tab.* 44.
(8) *Aeneid. Lib. III. vers.* 231.
(9) *Tom. I. pag. LXV.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

NOVA NUPTA.



Ides heic forte in geniali lectulo sedentem novam nuptam, stolatam, & lacrimas pannulo tergentem, tum ancillam eius pedes lavantem, lagena interim, in qua aqua continebatur, revoluta, ut peractum iam lavacri munus innuatur. Ritus hic a Servio (1) describitur, dum ait: *Unde hodie & faces praelucent, & aqua petita fonte puro per felicissimum puerum aliquem, vel puellam interest nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lavari*. Hinc urceoli, situlae, & lagenae ad aquam lustralem, seu mysticam praeferendam in pompa nuptiali. Ex huius aquae usu irrepsit formula *aquam, & uxorem accipere*; atque aqua praeferebatur insuper in processu nuptiali, teste Valerio Flacco (2):

> . . . . *ignem Pollux, undamque iugalem*
> *Praetulit*.

Huiusmodi Anaglyphum, tum in aedibus Vallensibus adservatum, adduxit etiam Bellorius (3), & ex eo Montfauconius (4); nec illud absimile, quod a Barbaultio insculptum adducitur inter cetera ab eo edita Romanae antiquitatis monumenta (5). Tandem Chimentellius (6) aere incisam dedit, atque descripsit novam nuptam, flammeum sibi reducentem, sellae insidentem, & altero pede prementem scabellum non adfixum, sed mobile, & a sede aliquantisper seiunctum, ex figulino opere antiqui artificii in Museo Belloriano; addens, circa eam sedentes tres alias haberi feminas ingressas ad officium νεονύμφου.

(1) *Aeneid. Lib. IV. vers.* 167.
(2) *Argonaut. VIII.*
(3) *Admirand. Urbis Romae Tab.* 73.
(4) *Antiq. explic. Tom. III. Part. II. pag.* 222. *Tabula CXXXIII.*
(5) *Les plus beaux Monuments de Rome ancienne desinés par M. Barbault; à Rome* 1761. *Pl. II. pag.* 14.
(6) *Marmor Pisanum de honore Bissellii; parergon inseritur de veterum sellis &c. Cap. XXIX. col.* 2139. *Tom. VII. Antiq. Roman. Graevii, num. L. Tab. III.*

TAB.

Tab. XLIV.

FIG. I.

MILES AD SEPULCRUM DELATUS.



Vides heic militem in bello confossum subiecto panno deferri ad tumulum a tribus libitinariis, dum duo barbati, & palliati viri ultima persolvunt pietatis officia, & postremos obtutus in eum defigunt. Duae arbores hinc inde surgunt ex iis, quae infelices dicebantur, quae nempe in inferorum Deorum tutela erant, quaeque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt, acrifolium, pyrus silvestris, ruscus, rubus, aliaeque similes. Hinc ad Mausoleum Augusti in Campo Martio, teste Strabone (1), habebatur χῶμα ἄχρι κορυφῆς τοῖς ἀειθαλέσι τῶν δένδρων συνηρεφὲς, *agger ad verticem usque semper virentibus arboribus consitus*. Fuerunt, qui Pallantem a Turno interemptum, & a sociis multo cum gemitu, lacrimisque delatum ad rogum, dum interim ab Evandro eius patre obviam facto conspicitur (2), heic agnoverunt. Nobis quidem libenter ad Graeca monumenta hoc etiam referre placuisset, nisi habitus, qui Romanas, non Graecas formas exhibent, obstitissent.

Tab. EADEM.

FIG. II.

MENSA FERALIS.

Super triclinium incubat vir senilis aetatis, sumpturus epulum, quod ibidem instructum conspicitur, pane, ovis, pomis, lancibus, aliisque iam rite appositis. Adstat altera figura ministrans, quam marmoris fractura nobis invidit. Non aliud heic exprimi putamus, quam silicernium, seu coenam feralem, quae inferebatur Diis Manibus (3); siquidem veteres in ea erant sententia, ut existimarent mortuorum animas ab inferis excitatas iis vesci, & oblectari, quod legere est apud Homerum (4). Hinc plura occurrunt monumenta emortualia, in quibus symposia huiusmodi insculpta habentur. Velserius (5) adducit

(1) *Geogr. Lib. V. pag.* 259.
(2) *Virgil. Aeneid. Lib. X.*
(3) Vid. Donatum in *Terent. Adelph. IV.* 2. 48.
(4) *Odyss. Λ. vers.* 26.
(5) *Monument. Agri Augustani num.* 13. *pag.* 414.

ducit Anaglyphum exprimens ſepulcralis coenae ſpeciem, in qua cubat quidam coenatoria veſte indutus, effultus, ſuberectuſque in cubitum, in ſcimpodio pluteis utrimque munito, rarali, pulviniſque ſtrato, atque ante lectum menſa eſcaria, *cibella* Varroni, qualem Tigellius deſignat apud Horatium (1), dum ait: *modo ſit mihi menſa tripes*. Coena feralis triplex habetur etiam apud Auctorem *Antiquitatum ſacrarum, & civilium Romanorum explicatarum* (2); tum plura alia triclinia, & menſas ex Sponio praeſertim adduxit Montfauconius (3). Nos etiam inferius afferemus cippum ſepulcralem, in quo huiuſmodi epulum expreſſum conſpici poterit.

TAB. XLV.

FIG. I.

PRAEDA EX VENATIONE.



Villicus in hoc Anaglypho bobus praeit, qui plauſtrum ducunt, pluribus animalibus, forte damis in venatione necatis, oneratum. Hoc vehiculi genus adiunctos habuiſſe boves, prodit illud Virgilii (4):

. . . . *nec ullo ex tempore cernes*
Plura domum tardis decedere plauſtra iuvencis.

Simile plauſtrum apris, damiſque inter venandum interfectis onuſtum ducitur a duobus iuvencis, villico pariter praeeunte, aliiſque comitantibus, in Anaglypho Muſei Barberinii, quod a Cauſeo adductum cernitur (5).

(1) *Lib. I. Sat. III. verſ.* 13.
(2) *Auctore M. A. V. N. Hagae Comitum* 1726. *Tab. LXIX. pag.* 265., *LXX. pag.* 269., *& LXXI. pag.* 275.
(3) *Antiq. explic. Tom. III. Par. I. pag.* 114. *Tabula LVIII.*
(4) *Georg. II. verſ.* 205.
(5) *Romanum Muſeum Tom. I. Sect. II. Tab. LXIV. pag.* 109.

Tab. EADEM.

FIG. II.

VINDEMIA.

CErne in hoc Anaglypho vindemiae ritus varios, & ſuccedentia ſibi officia. Pueri duo, quorum unus caniſtro pone humeros oneratur, racemos a vite pendentes colligunt. Inferne proſtat ſirpea, pars vehiculi, quae e viminibus contexta erat, formae oblonge quadratae, corbis inſtar, quae imponebatur vel trahae, vel plauſtro, rebus vilioribus, & uvis praeſertim in agro vehendis (1), ut heic cernitur. Dein ſuccedit torcular, in quo tres pueri tunicis elevatis vuas premunt, qui ab Heſiodo nempe dicerentur (2): ὅιγε μὲν ἐτράπεον, *alii quidem calcabant in lacu*. Aſt univerſos vindemiales labores non alius elegantius expreſſit, quam Anacreon in ἐπιλήνιῳ ὕμνῳ, *torculari hymno*, quemadmodum inſcripſit Barneſius Odem LII:

Τὸν μελανοχρῶτα βότρυν
Ταλάροις φέροντες ἄνδρες
Μετὰ παρθένων ἐπ᾽ ὤμων,
Κατὰ ληνὸν δὲ βαλόντες
Μόνον ἄρσενες πατοῦσι
Σταφυλὴν, λύοντες οἶνον,
Μέγα τὸν θεὸν κροτοῦντες
Ἐπιληνίοισιν ὕμνοις.

Nigricantem racemum
Calathis ferentes viri
Una cum virginibus ſuper humeros,
Inque torcular iacientes
Solum mares calcant
Uvam, exprimentes vinum,
Magno Deo plaudentes
Torculariis hymnis.

Anaglyphum hoc noſtrum adductum etiam fuit in ſplendida Virgiliana editione, quae Romae non multo ante peracta eſt typis Zempelianis, & aere Monaldiniano (3).

TAB.

(1) *Ovid. Faſt. VI. verſ.* 679. *Varro de Ling. Lat. IV.* 31.
(2) *Scut. Hercul. verſ.* 301.
(3) *Tom. I. Georg. Lib. II. verſ.* 382. *pag.* 119.

TAB. XLVI.

VINDEMIA.

HAbes heic Sarcophagum, cui vindemia insculpta est, & cui morem gerentes Tabulam hanc non alio, quam hoc loco, collocandam putavimus. Vides inprimis tres alatos Genios scalas ascendentes, ut pendentes ab arboribus, sive potius a trichila ex iis consita vuas colligant, quas dein alter in calathis componit. Duo alii nudi, brachiis inter se conserti, & palis innixi uvas in lacu pedibus calcant, alio dein canistrum, quem in lacum exoneret, racemis plenum perferente. Hinc duo alii racemationi ad arborem operam navant. Demum tres reliqui sacrificium curant; siquidem unus virga instructus hircum cornu prehensum ad aram deducit iuxta illud Virgilii (1):

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Alter urceolum, forte plenum musto, defert, quo libationes peragat. Tertius tandem ad aram stans nescio quid manu gerit, quod offerat Numini ante aram posito, in quo Silvanum agnoscimus, quod senex appareat, & in eius manibus sit lanx pomorum, quae in ipsius esse potestate putabantur. Vindemiales ritus, qui ad Bacchum potissimum pertinebant, in veterum urnis, & sepulcris insculpi mos erat, quod, ut superius pluribus ostendimus (2), multum iis fiderent ob orgiorum religionem, quibus elui crimina omnia comminiscebantur. Mos hic etiam a Christianis adscitus cernitur, quorum Sarcophagi quandoque vitibus, & vindemialibus operibus ornabantur, ut nimirum, diversa ab Ethnicis significatione, innuerent vel animam (3), vel Ecclesiam, vel ipsum Reparatorem Christum Iesum, qui *vitis vera* dicitur (4), & in Cantico canticorum (5) *botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, vel tandem incruentum Eucharistiae Sacramentum, quod supra Martyrum sepulcra in Catacumbis celebrari consueverat. Vide de his differentes Clarissimos Viros Buldettium (6), & Bottarium (7).

TAB.

(1) *Lib. II. Georg. vers.* 395.
(2) *Hoc Vol. Class. III. Tab. XXIII. Fig. I. pag.* 39.
(3) Vid. Ruinartium in *Act. S. Pionii*.
(4) *Iohann. XV. vers.* 1.
(5) *Cap. I. vers.* 13.
(6) *Osservazioni sopra i Cimiteri de' SS. Martiri Lib. I. Cap. VII. pag.* 27.
(7) *Roma Sotterranea Tom. I. pag.* 125. *Tav. XXXII.*

TAB. XLVII.

FIG. I.

VINDEMIA.



Abes heic reliqua vindemiae munia, quae puerorum lusibus exornantur. Duo rotunda vasa, sive lacus, in quibus mustum ex uvis expressum recondebatur, heic vides, quorum priori quidem duo pueri superstant musti lagenam in ipsum exonerantes, pendentibus hinc inde encarpis; dum interim duo alii inferne tristes, & pavidi conspiciuntur ob humi inversam lagenam alteram cum musti dispendio, atque tres alii insuper inter se festive luctantur. Vascula varia pomis referta medium locum tenent, quae pariter autumni tempus referant. Duo alii pueri alteri superstant lacui, quorum unus lagenam manu tenet, alter in mustum defixum habet obtutum, adstante ex una parte thyrso, & tympano, ex altera Herma, Silvanum forte, vel etiam Priapum referente, qui & urceolum, & virgam utraque manu sustentat; dum inferne sedent duo alii pueri, & alter tandem sub barbata, & horrida persona latens, & ex ore manum serpente instructam proferens alteri metum inducit, & lacrimas elicit. Pueri

Ἑκατὸν πίθοις ὁρῶντες
Νέον ἐς ζέοντα Βάκχον,
Iucunde doliis intuentes
In novum ebullientem Bacchum

ab Anacreonte eleganter describuntur (1). Puer alterum perterrefaciens sub personae tegumento cernitur etiam in Anaglypho Hortorum Pamphiliorum extram Portam Aureliam. Huiusmodi puerorum terriculamenta designat Iuvenalis, dum ait (2):

. . . . *personae pallentis hiatum*
In gremio matris formidat rusticus infans;

atque etiam Martialis, apud quem legitur (3):

Sum figuli lusus, Rufi persona Batavi:
Quae tu derides, haec timet ora puer.

TAB.

(1) *Cit. Od. LII. vers. 9.*
(2) *Sat. III. vers. 175.*
(3) *Lib. XIV. Epig. 176.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

LUDI CIRCENSES.



Edes Matthaeiorum Principum nunc tenent multum illius ſpatii, quod olim Circus Flaminii, a vulgo dein *Caſtellum aureum*, & *Palatium* nuncupatus, occupabat. Aſt de eo vide, quae in Praefatione ad I. Volumen horum Monumentorum latius diſſeruimus. Teſtis eſt Pyrrhus Ligorius (1), Ludovicum Matthaeium, cuius ſumptibus, & cura excitata eſt ea Aedium pars, quae eſt ad templum Divae Luciae ad apothecas obſcuras, quaeque dein ceſſit gentibus Nigroniae, Durazziae, Serbelloniae, ac poſtremo tandem Caietaniae, multa, quae ad hunc Circum olim pertinebant, ex ipſius ruderibus eruiſſe, inter quae memorat Anaglyphum, quod exhibebat pueros, Circenſes ludos curribus obeuntes, quodque non aliud eſſe videtur, quam noſtrum, nunc heic adductum, & illuſtratum. Quatuor bigas heic conſpicis, quas agitant pueri flagellis armati, & alis inſtructi. De ludis Circenſibus fuſe Panvinius, & Bulengerius pertractarunt; ſed & enucleatius, & elegantius quinetiam diſſeret Cl. Vir Ioh. Ludovicus Blanconius Saxonici Electoris apud Romanam Sedem Orator, a quo Circi Caracallae deſcriptionem, eruditione, & aeneis formis quam ornatiſſimam avide praeſtolamur. Bigae Circenſes occurrunt quoque apud Sponium (2), nec deeſt ibidem etiam quadriga (3). Tum ludi Circenſes varii apud Montfauconium (4) conſuli inſuper poterunt. Exſtat tandem nunc in Muſeo Clementino Vaticano Biga Circenſis ex dono Canonicorum Divi Marci de Urbe, apud quos olim iacebat, quam tamen Sedem balneariam cenſuerat Chimentellius, cuiuſque typum ſibi ab Octavio Falconerio miſſum exhibuit (5):

TAB.

(1) Nel Libro de' Circhi, ove così ſi eſprime: *Da queſto lato de' Mattei il Circo pochi anni ſono era in gran parte in piedi; la parte più intiera ſtava nel ſito di Lodovico Mattei, il quale ha cavato una quantità di travertini del Circo in quel luogo, e trovatovi tra l'altre coſe un fregio in un gran pezzo intagliato de' putti, che ſopra de' carri facevano de' giuochi Circenſi &c.*

(2) *Miſcell. erud. antiq. Sect. IX. num. XIII., & XIV.* Tom. III. *pag.* 308.

(3) *Ibid. num. XV.*

(4) *Antiq. explic. Tom. III. Par. II. Tab. CLXI., & CLXII. pag.* 284.

(5) *Marmor Piſanum de honore Biſſellii; Parergon inſeritur de veterum ſellis Cap. XXIII. Tab. III. num. XLVIII. col.* 2110., *& ſeq. Tom. VII. Antiq. Romanar. Graevii, & Cap. XXVII. col.* 2130.

TAB. XLVIII.

DUO HOMINES CAMELO VECTI.



Uid ſibi velit haec Anaglyphi pars, definire non audeo. Quare deſcriptione tantummodo contentus, quae heic apparent, unice exponam. Equitandi morem ſaltem deprehendere lector poterit, ne temere heic collocatam hanc Tabulam affirmet. Orientales homines, ac forte Arabes heic deſignantur, quandoquidem inſident Camelo, Arabiae potiſſimum incola. Hinc in Nummo Aemiliae gentis, ubi deſignatur Aretas Arabiae Rex a M. Scauro Aedile Curuli in fidem populi Romani receptus, cernitur homo genibus flexus, dextera oleae ramum porrigens, ſiniſtra vero cameli frenum tenens [1]. De Camelis, & eorum ſpeciebus, ac uſu conſulendus Ariſtoteles [2], Aelianus [3], Plinius [4], & Bochartius [5]. Diodorus [6] vero tradit, Camelum decem frumenti medimnos (quilibet enim medimnus ſex conſtat modiis), & quinque homines ſedentes gerere, quo loco conſuli etiam Weſſelingius poterit. Cameli Romae primum viſi ſunt, cum a Lucullo allati ſunt poſt Mithridatem apud Cyzicum devictum, ut teſtis eſt Salluſtius apud Plutarchum [7], tum & Ammianus Marcellinus [8]. Romae nunc par eorum, mas ſcilicet, & femina, habetur in Hortis Pamphiliis Principis Andreae ab Auria extra Portam Aureliam. Pannus dorſo Cameli impoſitus cernitur, qui ephippii vices gerit, ac ſuper eum inſidet ex hiſce orientalibus hominibus unus, alter vero clunibus inferne ſuſtentatur. Ductor praecedit, cuius crurium dumtaxat apparent veſtigia ob marmoris fracturam. Iacet humi caput coloſſale, quod ſi ad Statuam pertineret, forte in eo agnoſci poſſet alicuius Romani Ducis imperium, detrectatum ab orientali aliquo populo, qui dein eius ſimulacrum per ſpretum, & iniuriam everterit, ut ſaepe etiam Romae factum contra inviſos Imperatores teſtantur Hiſtorici [9]. Arbor, quae proxime adſurgit, forte palma eſt, quae inſuper orientalem plagam deſignat.

TAB.

(1) Vide *Iſtituzione Antiquario-Numiſmatica Lib. I. Cap. XI. art. IV. pag.* 208., e 209.

(2) *Hiſtor. Animal. II.* 6., *VI.* 17., *VIII.* 11., *& alibi.*

(3) *Hiſtor. Animal. III.* 7., *et XII.* 34.

(4) *Hiſtor. natural. VIII.* 18.

(5) *Hierozoic. II.* 1. *ad* 6.

(6) *Hiſtor. II.* 54.

(7) *In Lucull. pag.* 498.

(8) *Hiſtor. XXIII.* 12.

(9) *Sveton. in Domitian. Cap.* 23., *Lampridius in vita Commodi Cap.* 17. Domitiani etiam nomen abraſum idcirco etiamnum cernitur in Inſcriptio-

CLASSIS IX.

QUAE CONTINET

SARCOPHAGOS ET URNAS SEPULCRALES.

TAB. XLIX.

FIG. I.

MUSAE ET PALLAS MORTUO POETAE FAMULANTES.

INter IX. Musas medium locum tenent Pallas, & Poeta vita functus, cuius cineres in hoc Sarcophago, cuius anteriorem partem exhibemus, conditi fuerant. Pallas clypeo, & hasta armata est, Poeta pallio indutus carminum volumen manu tenet, Musae vero instructae sunt larvis potissimum, tibiis, clava, cothurnis, plectro, lyra, globo, volumine, quarum omnium rerum rationem, tum & motuum significationes iuxta diversas auctorum sententias tradidimus superius (1), cum alium Sarcophagum Musarum figuris insignem illustraremus. Quare nunc praestat eo loci lectores rem denuo repetere, cum facile sit ibi ea deprehendere, quibus nomen singulis figuris heic designatis adscribant.

TAB. EADEM.

FIG. II.

MUSAE MORTUO POETAE FAMULANTES.

VIde heic etiam IX. figuras, quibus alterius Sarcophagi pars anterior ornatur, quibusque IX. Musae mortuo Poetae famulantes designantur. Signa, quae iisdem tribui solent, etiam heic deprehendi possunt, tibiae nempe, lyra, cithara, larvae, Herculis

ptionibus apud Gruterium *pag.* 245. *num.* 2., apud Fabrettium *Inscr. Cap. IV. num.* 158. *pag.* 274., & 330., apud Norisium *Epist. Consul. pag.* 55., & apud Caietanum Notium *Inscript. Panorm. Part. I. pag.* 3. Quemadmodum Commodi nomen erasum etiam cernitur in prolixa Inscriptione apud Gudium *pag.* 206.

(1) *Hoc Vol. Class. II. Tab. XVI.*, & *XVII. pag.* 26.

lis clava, cothurni, globus caeleſtis, & his ſimilia, quae quidem ſingulis tribuere licet iuxta varias ſcriptorum opiniones, quas alibi expoſuimus, quaſque ſimul componere ſtuduimus. Medium locum tenet Vir ſedens, Poeta nempe in Sarcophago conditus, ad cuius dexteram cernitur non faſciculus voluminum ligamine quodam conſtrictorum, ut cenſuit Carolus Cocquelines [1]; ſed capſula, ſeu ciſta, vel ſcrinium columellae impoſitum, in quo carmina, & volumina, quorum unum ſiniſtra manu gerit, recondi conſueverant, & de quo nos plura alibi adduximus [2]. Uni, alterique figurae, quarum una Muſarum numerum exceſſu perturbat, nullum nunc ineſt ſignum, quandoquidem temporis iniuria fractae reparatione indiguerunt, quae tamen liberiori, vel etiam imperitiori Artificis marte ex argilla peracta eſt. Forte imago undecima, quam innuimus, illam Poeſis partem indicat, ut cenſet Cocquelines, qua Poeta praecelluit. Tum ipſe & hunc, & ſuperiorem Sarcophagum facile pertinere putat ad aliquem ex antiqua Pomponiorum familia, cuius numiſmata Muſis diſtinguuntur; quamquam ita obvia ſint inter vetera monumenta huiuſmodi Sarcophagi Muſarum figuris inſculpti, ut ceteros etiam hunc honorem, & ornamentum ſibi vindicaſſe appareat. Harum figurarum nonnullas aere inſculptas dedit Cocquelines ipſe, iiſque aliquot initiales litteras inſignivit; atque idcirco & Poeta ipſe ſedens, addita tamen dextera manu, quae in marmore deeſt, & occultata ob loci anguſtiam ſiniſtra volumine inſtructa, & Muſa eidem proxima, forte Euterpe, Tragoediae inventrix, quae ſiniſtra manu larvam tragicam elevatam gerit, dextera vero demiſſa clavam Herculis, fractam tamen, maiorique ex parte mancam tenet, etſi expers cothurnis contra marmoris fidem heic exprimatur [3]; hinc vel Clio, vel Polyhymnia cum lyra [4]; tum Melpomene citharam columellae imponens, aſt reformata ex monumento Villae Burgheſianae, ni etiam Clio haec cenſeatur [5]; ac tandem Urania cum caeleſti globo [6] ab ipſo adducitur.

(1) *In Edit. Roman. anni 1767. Comoed. Pub. Terentii Tom. I. pag. 89. ad Eunuchum.*

(2) *Tom. I. horum Monumentor. Claſſ. VII. Tabula LXXIII. pag. 72.*

(3) *Cit. edit. Roman. Comoed. Terent. pag. 89. litt. S. Prolog. ad Eunuch.*

(4) *Ibid. pag. 93. litt. Q. Act. I. Scen. I. Eunuchi.*

(5) *Ibid. pag. 177. litt. N. in Prolog. ad Heauton.*

(6) *Ibid. pag. 181. litt. Q. Act. I. Scen. I. Heauton.*

TAB.

TAB. L.

SARCOPHAGUS TRISOMUS CUM GENIIS.


Nterior Sarcophagi facies ea eſt, quam nunc exhibemus. Ex tribus clypeis, quibus defunctorum imagines includi conſueviſſe antiquitus, non uno in loco monuimus, ſepulcrum hoc triſomum fuiſſe coniicimus, corpora ſcilicet trium adoleſcentium continuiſſe, & fortaſſe fratrum, cum nimirum niſi coniunctis liceret communem tumulum habere. Medius clypeus, qui amplior eſt ceteris, ornatur encarpo inferne deſcendente, atque ab adſtantibus duobus Geniis ſuſtentato. Duo reliqui inferne a Tritonibus, marinorum fluctuum expiationem, defunctorum animabus ſalutiferam, ut ſaepe animadvertimus, praeferentibus, utraque manu attolluntur, & a ſingulis Geniis ad latus quinetiam ſuſtinentur.

TAB. LI.

SARCOPHAGUS CUM OCEANI ET TELLURIS SYMBOLIS.


Lypeo incluſus defuncti vultus cernitur, qui a duobus alatis, atque chlamydatis Geniis ſuſtinetur. Inferne iacet Oceanus, barbatus, & gubernaculo inſtructus, cui caput ornant duae forcipes, ſive pedes cancri, quae graece χήλαι audiunt, quibuſque vel cruſtacea, vel teſtacea, vel piſces maris incolae, aut etiam portus maritimi, quorum brachia, ſive latera ab Heſchylo ποντίαι ἀγκάλαι nuncupantur, & quorum imperium ad Oceanum potiſſimum ſpectat, innuuntur. Tum piſcis hianti ore ad pedes adſtat, & eius crura amplexatur Geniolus. Ex altera parte iacet Tellus cornucopiae gerens, cui ad caput forte ovis proſtat, cruribus adludit Geniolus, & ad pedes baculo ſerpens fortaſſe advolvitur. Medius adſurgit inter hos Geniolus alter alatus, qui altera manu arundinem, Oceani attributum, tangit, altera Telluris amictum, vel obligaculum aliquod pone humeros ſuſtinere videtur. Propinquos tandem defuncto parentantes hinc inde inſtar precantium adſtare non temere affirmaveris.

TAB.

Tab. LII.

FIG. I.

URNA CINERARIA CUM LUPA ET PUERIS.



Abes heic Urnam cinerariam, operculo inſtructam, ac rotunda forma donatam, in cuius fronte inſculpta eſt Lupa nutrix Remi, & Romuli, Urbis conditorum. Symbolum hoc natalis Urbis non uno in loco ſuperius etiam occurrit.

Tab. EADEM.

FIG. II.

OSSUARIUM.



Rna haec nomen, quo gaudet, in fronte ſculptum habet. Eius formam, & epigraphem OSSVARIVM Sponius [1], Fabrettius [2], & Montſauconius [3] adduxerunt. Fabrettius quidem animadvertit, huiuſmodi Urnas partem monumenti fuiſſe, licet non infixas, ſed amovibiles, ut conſtat ex *leg. 2. ff. de ſep. viol.* Urnam non multum diſſimilem, at OSSARIVM inſcriptam, ac repertam in fornicibus familiae Abucciorum vide apud Sponium [4]. Montſauconius [5] vero OSSVARIVM etiam hoc loco legendum ſuadet. Tum alibi [6] refert Inſcriptionem erutam prope Monaſterium Cryptae Ferratae apud Tuſculum, dum ipſe Romae degeret, quae hoc nomen rurſus ingerit:

PER . DEOS . SVPEROS
INFEROSQVE . TE . ROGO . NE
OSSVARIA . VELIS . VIOLARE
M. CALPVRNIVS . M. L. SVLLA
CALPVRNIA . M. L. FAVSTA . LIBERTA

Tum OLLAM OSSVARIAM exhibet quinetiam vetus Inſcriptio Muſei Collegii Romani apud Cl. Marchionem Scipionem Maffeium [7]; atque AEDICVLAM . CVM . OLLIS . OSSVARIIS habet inſuper Inſcriptio altera apud Gruterium [8], quae plenior tamen eſt apud Ma-

zo-

(1) *Miſcell. erud. antiq. Sect. IX. pag. 290.*
(2) *Inſcript. Cap. I. num. 69. pag. 16.*
(3) *Antiq. Explic. Tom. V. Par. I. Lib. II. Cap. VI. num. III. Tab. XXVII. pag. 60.*
(4) *Miſcell. erud. antiq. Sect. IX. pag. 287.*
(5) *Loc. cit. Cap. III. num. II. pag. 44. Vid. & Tab. VI. ad pag. 46.*
(6) *Tom. V. Suppl. Lib. III. Cap. III. num. II. pag. 74.*
(7) *Inſcript. var. poſt Muſ. Veron. pag. 257. num. 5.*
(8) *Inſcript. antiq. pag. 626. num. 6.*

zochium [1], licet a Mazochio ipſo ſe accepiſſe memoret. Huiuſmodi Ollas etiam a Fabrettio [2] adductas videas in antiquo marmore. Quod vero Latini *Oſſuaria*,.Graeci per ὀςοθήκην expreſſerunt. Teſtis Inſcriptio Ancyrana a Montfauconio [3], & a I. Anton. Huberto Roudilio Berriacio Monſpeſſulano [4] allata, quae characteribus perſpicuis reddita ſic ſe habet:

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ. ΕΥΤΥ	*Apollonius . Euty-*
ΧΟΥ. ΚΛΑΥΔΙΑ. ΙΟΥ	*chi . Claudiae . Iu-*
ΛΙΤΤΗ. ΣΥΜΒΙΩ. Α	*littae . Coniugi . bo-*
ΓΑΘΗ. ΤΟΝ. ΒΩΜΟΝ	*nae . aram*
ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΟΣΤΟΘΗ	*& . oſſum the-*
ΚΗΝ. ΜΝΗΜΗϹ. ΧΑ	*cam . memoriae . cauſ-*
ΡΙΝ. ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ	*ſa . erexit .*

Quare cum Iacobo Gutherio [5] illud nunc animadvertere praeſtat, nempe ubi OSSVARIVM, ΟΣΤΟΘΗΚΗΝ, OLLAS. OSSVARIAS, ac etiam OSSA POSITA, vel SITA, aut etiam CONDITA in antiquis monumentis inſcriptum deprehendimus, bellicam, vel peregrinam mortem deſignari. Oſſa enim tum non comburebantur, ſed ex Pontificum ritu terra obtegebantur. Ceterum illud etiam contingere potuit, ut haec, tum cetera ſimilia monumenta id temporis referant, quo nulla lex erat (quidquid Alexander ab Alexandro [6] aſſerat) de cadaverum uſtione, cum arcarum uſus tum reipublicae, tum Imperatorum aevo hanc eliminet, eidemque adverſentur inſcriptiones veteres apud Fabrettium [7]. Uſu enim, ut idem animadvertit, νεκροκαυσία, ſeu combuſtio, non lege invecta eſt, nec eo tamen conſtanti. Siquidem mos hic obtinuit uſque ad Theodoſii M. tempora, ut adnotat Gothofredius [8]; nam Macrobius [9] Theodoſio Iun. ſynchronus urendi corpora defunctorum ritum ſuo ſaeculo nullum eſſe ait. Notatum etiam Alexandrum hac de re videas a Cl. Ioſ. Moriſanio [10], qui plura quoque proſequitur. Forte etiam a primis Chriſtianis cremationis ritus adſcitus fuit ex gentium more, cum Urnam cinerariam fictilem Chriſti monogrammate inſignitam videre mi-

hi

(1) *Epigramm. antiq. Vrbis pag.* 178.

(2) *Inſcript. Cap. III. num.* 284. *pag.* 160.

(3) *Palaeograph. Graec. Lib. II. Cap. VI. num. XII. pag.* 166.

(4) *Monument. Galatic. Synopſ. Liburni* 1772. *pag.* 61. *num. IX. inter Addenda.*

(5) *De Iure Manium Lib. I. Cap. VIII. pag.* 51. *edit. Lipſ.* 1671.

(6) *Genial. Dier. Lib. III. Cap. II. pag. m.* 14. *b.*

(7) *Inſcript. Cap. I. pag.* 17.

(8) *Ad l.* Omnia 6. *de ſep. viol. Lib. IX. tit.* 17. *Cod. Theod.*

(9) *Saturnal. Lib. VII. Cap. VII.*

(10) *Inſcript. Regin. Diſſert. X. pag.* 431., 451., *&* 453.

hi contigerit Perusiae in Museo Montemelliniae gentis, nunc Borgiae, dum illud inviserem otio autumnali anni CIϽIϽCCLXXI.

CLASSIS X.

QUAE CONTINET

VETERES INSCRIPTIONES.



SECTIO I.

DII ET SACERDOTES.

(1)

SOLI . SANCTISSIMO . SACRVM
TI . CLAVDIVS . FELIX . ET
CLAVDIA . ELPIS . ET
TI . CLAVDIVS . ALYPVS . FIL. EORVM
VOTVM . SOLVERVNT . LIBENS . MERITO
CALBIENSES . DE . COH . III

Retulit Gruterius pag. 36. n. 1.; veluti exstantem *Romae apud Matthaeios in basi sub imagine Solis*.

(2)

CN. OCTAVIVS . TITINIVS . CAPITO
PRAEF. COHORTIS . TRIB. MIL. DONAT
HASTA . PVRA . CORONA . VALLARI . PROC. AB
EPISTVLIS . ET . A . PATRIMONIO . ITERVM . AB
EPISTVLIS . DIVI . NERVAE . EODEM . AVCTORE
EX . S.C. PRAETORIIS . ORNAMENTIS . AB . EPISTVL
TERTIO. IMP.NERVAE. CAESAR.TRAIANI. AVG.GER
PRAEF . VIGILVM . VOLCANO . D. D

Retulit ex Smetio, qui vidit, Gruterius pag. 61. n. 4., veluti *Rome repertam in domo Matthaeiorum in Circo Flaminio*, & dein *apud Gentilem Delphinium*. Ast Cl. Marchio Scipio Maffeius in *Arte critica lapidaria* Lib. III. cap. IV. col. 282. de hac Inscriptione ita sentit: *Reliquas in hac pagina non magni facio: Capito centum titulis Vulcanum obruit, & in arctum coniicit, inter quos nullius auctoritatis, nulliusque proventus officium est* Procuratoris ab epistulis.

(3)

VESTAE . SACRVM
C. PVPIVS . FIRMINVS . ET
MVDASENA . TROPHIME

Retulit Fabrettius Cap. VIII. num. 277. pag. 632., ubi recenset gentilitia nomina, quorum Gruterius non meminit. Hinc primum gens *Mudasena*. Retulerat etiam antea ad *Tabul. Iliad.* pag. 339.

(4)

SILVANO . CAELESTI
Q. CEREIVS . FELIX
VIRGILIANVS . POETA
D. D

Retulit Gruterius, e schedis Castilionis pag. 64. n. 5. Lin. 2. ipse legit GLITIVS pro CEREIVS. Maffeius in *Art. crit. lapid.* Lib. III. cap. IV. col. 282. ita censet de hac Inscriptione, quae tamen insculpta est in columna marmoris Numidici ad porticum Aedis S. Mariae in Cyriaca prope fores Custodis Hortorum Matthaeiorum: *Silvanum caelestem cum Virgiliano Poeta longum esset excutere*. Apud Gruterium pag. 446. n. 8. habetur etiam ex Mazochio OVIDIANVS POETA, de quo ita idem Maffeius loc. cit. col. 340. *Nobilitatem, quae ex vetustate, Ovidianum Poetam non multum possidere crediderim*.

(5)

SILVANO
LARI . AGRESTI
A. LARCIVS . PRO
CVLVS . D. D

Retu-

Retulit ex Donio Muratorius pag. 69. n. 10. lin. 3. A. LARCIVS, non MARTIVS habetur.

(6)

P. AELIVS . AVG. LIB
SILVANO . SAN
CTO
CALLINICVS . TRITIC

Retulit Fabrettius Cap. V. num. 295. pag. 401., veluti olim exstantem *in Hortis Matthaeiis*, & inde in suum Museum translatam. Inter duas priores lineas binae leoninae facies ab eo innuuntur expressae, & inter penultimam, & ultimam totidem taurinae. Servus *a frumento* reperitur apud Gruterium pag. 592. n. 9., & 593. n. 1., & 2., & alios apud ipsum Fabrettium Cap. V. num. 131. pag. 369., & Cap. IV. num. 297. pag. 304. Idem hoc munus sub novo hoc nomine TRITICARII designari putat Fabrettius in hac arula Silvano dicata in nemore praedii Nob. Matronae Paullae de Matthaeiis prope viam Ostiensem, ubi & vestigia templi Silvani in ara memorati, cuius mentio est in fragmento alterius maioris cippi ibidem iacentis, quod num. seq. subiungimus. Quid de hac inscriptione sentiat Maffeius loc. cit. Lib. III. cap. XIV. col. 447., facile ex sequentibus patebit: *Officium pariter Triticarii* (inquit) *neutiquam arridet, nec leoninae facies, nec Deus inter liberti nomen, ac cognomentum intrusus; vestigia templi Silvani, quae in eo nemore adseruntur, quisquam forte tueri voluit.*

(7)

LVTE
ONINI
II . PP
ILVANO
MES
RIVS
ARMORE
OSVS
O. DD
ITQVE
VG
T. LARGO . COS

Retulit idem Fabrettius ibidem, qui ita describit sculpturas: *In latere intuentibus dex. insculpta sunt simulacra Silvani ad dex., & Dianae ad sin. Silvanus dex. falcem tenet, sin. ramum, habetque lupum ad pedes. Diana dexteram sublevat super humero dextero, tamquam sagittam ex pharetra depromens, sin. arcum humi incubantem sustinet, habetque canem ad dex. In latere inscriptioni averso ad dex. tripus, ad sin. caput porci.* M. Valerii Largi, & M. Valerii Messalini Consulatus, qui heic signatur, incidit in ann. V. C. 900., Christi vero 147.

(8)

TAB. LIII.

FIG. I.

TI. CLAVDIVS . ASCLEPIADES
ET . CAECILIVS . ASCLEPIADES
EX . VOTO . NYMFABVS . D. D

Retulit ex Castilione Gruterius pag. 93. n. 5., ast sine figuris, qui tamen collocat *in Colle Hortulorum apud Leandrum Lanam*, Sponius *Miscel. erudit. antiq.* Sect. II. art. VII. pag. 32., & Fabrettius in II. Dissertat. *de Aquis, & aquaeductib.*, & inter *Inscript.* Cap. X. n. 144. pag. 693. Tum insuper adduxit ex Sponio Montfauconius *Antiq. explic.* Tom. I. Part. I. cap. VII. Tab. CCXX. n. 1. pag. 386., & ex Fabrettio Vir doctus anonymus, qui notas, & figuras adiecit Henrici Kippingii operi *Antiq. Romanor.* Lib. I. cap. IV. pag. 112. edit. Lugd. Batav. 1713. Anaglyphum hoc migravit nunc ex Hortis Matthaeiis in Museum Clementinum Vaticanum. Nos exhibemus epigraphem, & appositas sculpturas Tab. LIII. Fig. I., quam consule. Tres Nymphae heic conspiciuntur, quae medium locum tenent, quibusque ad dexteram adstat Diana, ad sinistram Silvanus, atque Hercules, suis notissimis attributis satis conspicui. Ceterum Sponius Silvanum ornatum falce, & pinu non agnovit, qui parum etiam fideliter figuras expressit. Fabrettius dum orthographiae studuit

duit fcribens NYMPHABVS, marmoris fidelitatem non fervavit, ubi NYMFABVS apertiffime legitur. Plura alia exftant vetera monumenta Nymphis dicata, & praefertim apud Gruterium, Reinefium, Gudium, Muratorium, & Maffeium, quos infra citabimus, tum & apud Iulium Iacobonium in appendice ad Fonteium *de gente Caefia* Cap. II. pag. 30., ubi BATINIA PRISCILLA lapidem, tribus Nymphis aquae vafcula effundentibus infculptum, iifdem dedicat. Nos etiam infcriptionem alteram, quam Q. HORTENSIVS. HYMNVS. NYMPHIS. DIVINIS, quarum ibidem aderant Signa ex tribus fuperne exftantibus veftigiis confpicua, facram facit, quaeque nunc cernitur in Ambulacro Aedium Vaticanarum, per quod iter eft ad Mufeum Clementinum, adduximus in Ephemeridibus Florentinis anni CIↃIↃCCLXIX. num. 16. col. 246. Nymphae, quibus veteres vota folvere confueverant, aquarum praefides fuiffe videntur; cum & in aquas earum nonnullas commutatas fuiffe crederent, ut de Nympha inter Sicelidas celeberrima Cyane narrat Ovidius *Metam.* lib. V. Hinc fit, ut Nymphas, & Lymphas fimul iunctas, & exultas videamus. Apud Gruterium pag. 93. n. 1., Reinefium Clafs. I. n. 988., Gudium pag. 57. n. 5., & Muratorium pag. 87. n. 3. NYMPHIS. LYMPHISQ. AVGVST. OB. REDITVM. AQVARVM. P. POMPONIVS. CORNELIANVS. COMMISIT. VT. VOVIT. Huc etiam fpectare videtur infcriptio, quam habet Maffeius inter Infcript. varias poft *Mufeum Veronen.* pag. 307. n. 2. NYMPHIS. SANCT. NOVIS. REPERTIS. IN. VILLAM. SARDINIANAM .... DEDVCT. Certe quidem apud veteres Graecos *nympha* pro aqua accipiebatur, quae dein *lympha* per unius litterae commutationem facta eft; ut idcirco utraque vox faepe in antiquis Codicibus indifcriminatim ufurpata deprehendatur, tum etiam utraque coniunctim expreffa alicubi occurrat. Teftis eft Aldhelmi Malmesburienfis Abbatis epiftola ad Eahfridum ex Hibernia in patriam reverfum exarata circa ann. DCXC., quae legitur in *veterum Epiftolarum Hibernicarum Sylloge*, a Iacobo Ufferio Armachano Archiepifcopo concinnata, n. 13. pag. 35., ubi de mare, quod amicus traiecerat, verba faciens memorat *fpumiferas lymphae nemphae obftirpationes* (forte *obftipationes*); nifi illud factum heic eft, quod alibi faepe ufuvenit, ut harum vocum alterutra margini appicta fuerit inftar variantis, vel etiam emendationis, & utraque dein in textum irrepferit. Hinc etiam venit, ut inter viam Corneliam, & Portuenfem olim exftiterit locus dictus *ad Nymphas*, qui hodie vulgo *Sancta Nympha* appellatur, ubi etiamnum ingentium aquaeductuum veftigia fub terra apparent, ut proinde ex aquarum copia id nominis profluxerit, quemadmodum Baronio ipfo in fuis Ecclefiafticis annalibus ad annum CCLXX. vifum fuit. Hae igitur Nymphae Genii erant, five δαίμονες, ut apud Graecos audiebant, puellarum figura praediti, qui δαιμόνια τινα ἐν γυναικείῳ σχήματι a Theocriti fcholiafte nuncupantur, quae aquis praeerant, ut proinde *Naiades* cenferi poffint, quae & Ὑδριάδες a Porphyrio dictae funt. Quot eaedem fuerint, non una eft mythologorum fententia, aliis quinquagefimum numerum, aliis centefimum ipfas exceffiffe opinantibus. Aft in infinitum eas abiiffe dicendum eft, fi id ftatuatur, quod a Ludovico Cerdano apud Virgilium *Aeneid.* 1. v. 52. afferitur: *ubi aquae, ibi & Nymphae aquarum individuae comites*. Neque etiam fontibus, fluminibus, & balneis, ubi colebantur, dumtaxat eaedem tribuebantur, fed etiam maribus, quorum incola Salacia omnium celebrior fuit, quae a Scaligero non alia, ac Ἁλοσύδνη, cuius meminit Homerus, cenfetur; ut hinc etiam Neptunum Νυμφαγέτου nomen fibi adfciviffe appareat. Nihilominus tres ut plurimum, uti fuperius innuimus, & ut noftrum prodit monumentum, deprehenduntur, trefque etiam exhibet anaglyphum Mufei Naniani Venetiis, quod publici iuris fecit Hieronymus Zanettius Vir Cl. Tom. IX. novae Calogerianae Opufculorum Collectaneae, tum Pictura Mufei Herculanenfis Tom. IV. Tab. VI. pag. 31., tabula marmorea, Graeco fcalpro elaborata, Villae Nuptiae apud Hortam, & ab eruditiffimo Fontaninio edita in *Antiquit. Hortae* Lib. I. pag. 117., anaglyphum alterum Capitolinum a Clariff. Bottario prolatum, ac tandem plura alia laudati Naniani Mufei fculpta marmora, quae a celeberrimo Paullo M. Paciaudio inter *Monumenta Peloponnefiaca* recenfentur. Quare tres, quae ita faepe expreffae in veterum monumentis occurrunt Nymphae aquarum praefides, non aliae effe videntur, quam quae a Theocrito Hylae raptum defcribente innuuntur ad Afcanium fluvium Idyllio XIII. v. 43:

Ὕδατι δ' ἐν μέσσῳ Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο,
Νύμφαι ἀκοίμητοι, δειναὶ θεαὶ ἀγριώταις,
Εὐνίκα, καὶ Μαλὶς, ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεία.

Vndaque in media Nymphae chorum compofuerunt,
Nymphae pervigiles, graves Deae rufticis,
Eunica, & Malis, verque afpiciens Nychea.

Neque

Neque hae Nymphae aquaticae dumtaxat tres recenfentur, & exprimuntur, cum hoc ternario numero plura alia Numina continerentur. Hic Aufonius:

Tres ordine Parcae,
Tres Charites, tria Fata.

Tres pariter erant Deae *Sulevae*, quas exhibet Sponius *Mifcell. erud. antiq. pag.* 107., & Fabrettius *de Aquis, & aquaeductib.*, quas campeftres Nymphas unanimiter cenfent Antiquarii omnes, ut ut inter fe de earum etymo differentiant. Et revera apud laudatum utrumque Cl. Virum legitur in veteri monumento: SVLEVIS . ET . CAMPESTRIBVS . SACRVM. Campeftres Deae forte etiam habentur in Gruteriano lapide pag. 87. n. 6., ubi legitur: CAMPES . ET . E PONAE, etfi Ant. Franc. Gorius *Infcript. Etrur.* Tom I. pag. 38. ex mutila voce CAMPES, quae CAMPESTRIBVS reddenda eft, novum Numen, cui nomen CAMPE, quaeque curruum agitationi, ut Epona equis, & ftabulis, praeeffet. Tres etiam recenferi videas Deas *Mairas*, vel Deas *Matres* apud Gruterium pag. 92. n. 1., & Deas *Gabias*, quae exprimuntur in veteri anaglypho edito Coloniae anno CIↃIↃCCXLV. Fig. II. ab auctore anonymo in eius *Infcriptionis Herfellenfis Ubio-Romanae explanatione*. Hinc facile coniicere poffumus tres etiam fuiffe Topicos Deos, qui & ἐπιχώριοι dicti funt, inter quos nominandae veniunt *Matronae Vediantiae*, *Matres Gerudatiae*, *Herae Aufcarae*, *Aufanae Matronae*, *& Matres*, *Nymphae Grifelicae*, & fi quae funt aliae, a Sponio praefertim adductae in *Aris ignotorum Deorum*, & a Smetio illuftratae in *Antiquit. Neomagens*. pag. 91., & feqq. Vota vero, quae hifce Nymphis folvebantur, iifque praefertim, quae aquis praeerant, non aliunde profecta videntur, quam ex opinione reftitutae per earumdem aquarum ufum incolumitatis. Hinc eft, ut hae Nymphae appellentur *falutiferae*, *dulciffimae*, & *fanctiffimae*; quae quidem facile falubres exftiterunt vel ex earum levitate, vel ex mineralium commixtione, ut etiam ad falutem conducere multum potuerunt aquae thermales, faepe a Medicis praefcriptae, quibus multum tribuere, & quibus uti quam faepiffime veteres confueverant. Quare votum pro falute Gallieni Imp. Zanettius fuiffe cenfuit laudatum fuperius Nanianum anaglyphum. Tum Reinefius pag. 193., & Pafchalis Caryophilus *de Thermis Herculanis* pag. 23. refert infcriptionem, quae Albae proftabat in palatio veteris tabularii, nunc vero eft ad fcalas Bibliothecae Caefareae Vindobonenfis, & in qua indicari videntur aquae thermales aevo Antonini Pii repertae, quae & eius faluti utiles exftiterint, heic *Nympharum* voce pro *Lymphis* quinetiam ufurpata:

PRO . SALVTE . DOMINI . NOSTRI . SANC
TISSIMI . ANTONINI . PII . NYMPHIS . NOVIS
SACRVM . REFINVS . LEG. XIII. *Geminae*.

Hinc etiam foluta vota plurima occurrunt AQVIS ALBVLIS apud Reinefium, Muratorium, aliofque. Hae aquae, quae falubritatis famam longe celebrem adeptae fuerant, aberant Tibure Romam verfus quatuor mille paffus, ubi anno CIↃIↃCCXXXVI. multae aliae detectae funt infcriptiones, quas Ficoronius Muratorio communicavit. Inter has quidem unam referre praeftat, quae habetur apud Muratorium pag. 159. n. 5., quaeque eft huiufmodi:

PROCVLVS . SACERDOS
M. D. M. IGIAE . SAC. AD
AQVAS . ALBVLAS . DD

In fcaturigine aquae Albulae repertam monet Muratorius, notatque *Magnam Deûm Matrem* Cybelen heic appellari IGIA*m*, ideft fanitatis confervatricem. Aft ego potius cenferem Proculum Sacerdotem M. D. M. votum Hygiae folviffe, vel ipfi SAC*rum* hunc titulum AD . AQVAS . ALBVLAS D*edicaffe*, ut ibidem ftaret tamquam teftimonium reparatae fibi ipfi valetudinis, quaefito ex earumdem aquarum virtute remedio. At hifce Nymphis non infcriptiones, neque anaglypha tantum dicabantur, fed etiam aedes erigebantur prope fontes, ac balnea, quibus praeeffe cenfebantur. Teftis eft Martialis Epigr. 59. lib. IX., Sabinum quemdam Sarfinatem templum dedicaffe Nymphae praefidi balneorum Umbrorum Sarfinatium, quae etiamnum fervantur in loco, qui Sanctae Mariae, vel Sancti Petri in Balneo appellatur, quaeque etiam a Sancto Petro Damiano in vita Sancti Romualdi Cap. 18. memorantur. Haec omnia confulat, cui vel vacat, vel lubet, fuis locis. Aediculam forte olim exftitiffe prope Balnea Pifana, quae Genio aquarum facra effet, prodit fragmentum infcriptionis, quod ad eorumdem Balneorum orientalem faciem nunc cernitur, quodque & Antonius Cocchius, ubi de hifce Balneis Cap. VI. pag. 345., & Ianus Plancus ὁ μακαρίτης in altero de eorum ufu tractatu Cap. II. §. IV. pag. 11., & Sebaft. Donatius in *Supplemento ad Thef. Muratorian.* pag. 6. n. 3. retulerunt. Hoc ita fe habet:

.... SML

. . . . . SML . EROS . AQV . . .
RVM . AEDICVLAM

Tandem monumentis omnibus celebritate, & excellentia praestat templum, quod Clitumno amni inter Spoletum, & Fulginiam decurrenti (qui in charta Archivii Trebiatis anni CIↃIↃIX., a me exscripta otio autumnali anni CIↃIↃCCLXIX.; *Clitumdus*, sive *Thimia* appellatur) excitatum fuit, & cuius ectypus apud Palladium, tum recentior, & accuratior est etiam apud Rodolphinum Venutium, qui ipsum praesertim, tum signa, & inscriptiones ad ipsum pertinentes, ut ipse putabat, illustravit. Nympharum, sive Lympharum cultus adeo invaluerat, ut vel ipso ethnicismo deleto alicubi adhuc vigere identidem deprehensus fuerit. Hinc Liutprandus Italiae Rex poenas indixit lege XXX. Lib. VI. in eos, qui *ad arborem, quam rustici sanctivam vocant, atque ad fontanas adoraverint*; quod etiam a Cl. Muratorio in *Antiq. medii aevi* Differ. XLIX. col. 66. Tom. V. adnotatum fuit. Patet quinetiam ex Can. XX. Concilii Nannetensis, & ex Capitulari Caroli M. adducto a Stephano Balutio Tom. I. pag. 518., Francos saeculo VIII. hac superstitione detentos adhuc fuisse. Illud vero magis mirandum venit, saeculo etiam XV. Aretii in Etruria cultum quemdam persolutum fuisse ad fontem, qui *Tenta* appellabatur, quod Cl. Eques Laurentius Guazzesius Dissert. IV., quae est de caede, & morte Totilae Gothorum Regis, pag. 232. prodidit ex monumento diei XIX. mensis Maii anni CIↃCCCCLV., servato in publico tabulario, in quo illius Civitatis Decuriones testantur, fontem, *in quo idolorum cultus observaretur, madefierentque pueri cum observantiis, & oblationibus quibusdam*, iam a Divo Bernardino Senensi dispersum manuum suarum ministerio, & aliorum etiam praesidio fuisse; quo loco dein templum Virgini a gratiis nuncupatae erectum fuit. Sed iam ad inscriptionem nostram Nymphis sacram redeamus. Consortium Silvani cum Hercule, quod heic etiam deprehenditur, multis apud Gruterium inscriptionibus indicatur, nempe pag. 1. n. 4., pag. 42. n. 4., 5., 6., & 12., pag. 62. n. 8., & pag. 63. n. 4., tum de eo idem Fabrettius locis superius citatis crudite disseruit. Antequam hanc inscriptionem dimittamus, id observandum a nobis est, Carolum Patinium in *Commentar. in antiq. Cenotaph. M. Artorii Medici Caes. Aug.*, edito Patavii ann. 1689., pag. 441. distinguere quadruplicem apud antiquos significationem vocabuli Asclepiadis, nempe nomine, cognomine, aut agnomine, stirpe, exercitio, & secta. Ab hac secta repetit Patinius eos, qui habentur in hac nostra inscriptione, quam refert ibidem pag. 447., licet tamen eos, qui Asclepiadis dogmata tuebantur, Asclepiadeos potius, quam Asclepiades dicendos existimet, qui forte omnes Medici erant, orti nempe a stirpe Aesculapii, qui graece Ἀσκληπιὸς appellatur.

(9)

STRATONICE . ANTHE . GEMMARI
ARAM . GENIO . HVIVS . DECVRIAE . D. D

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 341. pag. 59., ubi ostendit, uxores quandoque assumere viri nomen gignendi casu. Hac de re frequentia exstant exempla in nummis, in quibus constantissime, quoties sine adiunctione *filiae*, vel *matris*, &c. ipsae Augustae nuncupantur, semper de uxoribus veniunt intelligendi, ut in *Livia Augusti*, *Agrippina Germanici*, &c. Fuit ergo *Stratonice Anthe*, non *Anthi*, ut male legit Fabrettius, uxor Gemmari. Fiebant vero dedicationes olim Geniis ipsarum rerum vita, & anima carentium, corporisque alicuius politici; cum *uniuscuiusque loci Deum Genium esse putarint*, ut ait Festus, vel, ut Servius ad Lib. I. *Georg.* vers. 302., *Genium autem dicebant antiqui naturalem Deum uniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis*. Inferius etiam occurret, ubi de Militaribus, mentio *Genii Centuriae*. Migravit nunc Ara haec rotunda ornata in Museum Clementinum Vaticanum.

In

(10)

In fronte.

HERCVLI . AVG
SACR
FELIX . AVG. L. OPTIO . ET
EXACTOR . AVRI . ARG. AERIS
ITEM . SIGNAT . SVPPOSTORES
MALLIATORES . MONETAE . CAESARIS . N

Ad latus sinistrum Arae recensentur nomina dedicantium.

SIGNATORES	
PVDENS	LIB
ADIECTVS	LIB
VITALIS	LIB
TELESPHORVS	LIB
POMPONIVS	LIB
GLAVCIAS	LIB
VRBANVS	LIB
AMPLATVS	LIB
OLBIVS	LIB
PRIMIGENIVS	LIB
PARIS	LIB
FIRMVS	LIB
SPORVS	LIB
HELIVS	SER
EVDAEMON	SER
PANTAGATHVS	SER
ONESIMVS	SER

SVPPOSTORES	
SATYRVS	LIB
HILARVS	LIB
MARITIMVS	LIB
PAVSILIPVS	LIB
SEVERVS	LIB
SVCCESSVS	LIB
SATVRNINVS	LIB
AMANDVS	SER
SABINVS	SER
ORIENS	SER
PRIMVS	SER

MALLIATORES			
GORGIAS	LIB	EPAPHRODITVS	SER
APOLLONIVS	LIB	EVTICHIDES	SER
CHARITO	LIB	SIRATOCLES	SER
COSMVS	LIB	RECEPTVS	SER
EROS	LIB	TELESPHORVS	SER
THEODOTVS	LIB	EVHODVS	SER
THALLVS	LIB	ZOSIMVS	SER
ATHENIO	LIB	STEPHANVS	SER
THRASO	LIB	EPAPHRODITVS	SER
NARCISSVS	LIB	PHILON	SER
PLOCAMVS	LIB	DYMANS	SER
ADIVTOR	SER	EPITYNCHANVS	SER
MVSAEVS	SER	ARTEMIDORVS	SER
SOTERICHVS	SER	HERMES	SER
HELENIO	SER	SALLVSTIVS	HERMES
CRESCENS	SER	MEVIVS	CERDO
IANVARIVS	SER	ASCLEPIVS	FELICIS
MAMAS	SER	D. S.	D. D

DEDICAT . V. K. FEBR

L. VIPSANIO . MESSALA . M. VERGILIANO . PEDONE CoS

Retulit Gruterius in Appendice pag. 1070. n. 1. ex schedis Cittadini, & Sirmondi, & exstare ait *in aedibus Sabellorum in Theatro Marcelli.* Idem pag. 36. n. 8. e Zamosio, & rursus in Appendice pag. 1066. n. 5. ex Cittadino eodem loco ponit aliam aram APOLLINI . AVG. SACR*am*, quam dedicat idem *Felix Aug. Lib. optio*, *&c.* Tum pag. 74. n. 1., & rursus exactius in corrigendis, & notis pag. 2. col. 2. e Cittadini schedis alteram habet nostrae simillimam, quae sacra est FORTVNAE . AVG. Nostram hanc insuper citat, immo refert eius initium Sponius in Libro, cui titulus: *Ignotorum, atque obscurorum quorumdam Deorum Arae* num. XXVII. pag. 49., quam se exscripsisse ait *in Villa Matthaei Romae*. Tandem habet & Sebastianus Donatius Tom. I. *Suppl. ad novum Thesaur. Murator.* ex schedis Stoschianis pag. 35. n. 3., omissis tamen Signatorum, Suppostorum, & Malliatorum nominibus. Ast Maffeius in *Arte critic. lapidar.* Lib. III. cap. IV. col. 385. ita de his omnibus addubitat: *Quae* Suppostoris monetae *officium, & vocabulum invexit, & adhibetur a Salmasio in Solinum pag.* 277., *tertia hic vice affertur, & quarta in corrigendis, tam diversa ubique, ut ter saltem mentiri necesse sit.* Certe negotium facessit, quod non eadem semper nomina opificum occurrant, cum tamen singulae Arae HERCVLI, APOLLINI, & FORTVNAE . AVG eodem die, nemp. V. *Kal. Febr.*, & iisdem Consulibus *L. Vipsanio Messala*, & *M. Vergiliano Pedone*, scilicet anno Christi 115., positae sint. De cognomine *Augusti*, quod *Herculi* heic nunc tribuitur, nil mirum, cum multa occurrant monumenta, in quibus Deorum, Dearumque nominibus in Principum assentationem Augusti, & Augustae cognomina, & tituli additi sunt, ut

ut eos Diis aequare viderentur. Hinc Iuppiter, Neptunus, Aesculapius Augustus, Ceres, Diana, Isis Augusta. Gudius huius monumenti auctoritati innixus pag. 111. n. 3. haec adnotat: *Optiones non tantum in militia, sed etiam in civilibus officiis erant, ut hinc patet, & ex inscriptione Herculis Augusti in Hortis Matthaeiorum. Vid. Reines. ad Inscr. 3. Clas. I.* Ara haec tamen, Maffeiano iudicio haud obstante, cui nos nihil tributum, nihilque detractum volumus, in Museum Clementinum Vaticanum invecta est.

(11)

IVLIA . PHOEBE
VISO . FORTVNAE
SACRVM

Retulit Gudius pag. 50. n. 8., tamquam exstantem in tabella marmorea, litteris boni aevi, Hortorum Matthaeiorum. Putat lineae secundae forte excidisse EX.

(12)

ΔΙΟΝΥϹΟΥ . ΙΕΡΕΙϹ	*Bacchi Sacerdotes*
ΘΕΟΙϹ . ΤΟΙϹ . ΕΠΙΚΕΙΜΕ	*Diis adiacenti-*
ΝΟΙϹ . ΚΑΙ . ϹΠΕΙΡΗ . ΙΕΡΑ	*bus, & Cohorti sacrae*
ΑΝΕΘΗΚΑΝ	*Posuerunt*
Τ. ΑΙΛΙΟϹ . ΕΡΩϹ	*T. Aelius Eros*
ΟΥΦΕΙΝΙΑ . ΠΑΥΛΕΙΝΑ	*Uphinia Paulina*
L ΑΜΟΥΡΗΝΑ . ΚΟϹΜΙΑϹ	*I. Amurena Cosmias*
Τ. ΙΟΥΛΙΟϹ . ΜΑϹΚΛΙΩΝ	*T. Iulius Masclion*

Retulit Sponius Sect. X. n. 131. pag. 375., sed incorrecte quoad ultimam lineam, & sine interpretatione, ut proinde confirmare per hoc videatur Theophili Sigefridi Bayerii in ipsum dicterium in Epistola de *Inscriptione Deliaca* pag. 59: *Sponium ignarum linguae Graecae nihil moror*. Habet & Muratorius pag. 159. n. 3. e schedis Ptolomaeis, qui ponit *Romae in Aedibus Matthaeis*, sed ita erroribus, & lacuna, quae nulla est, deturpatam, ut quilibet nostrum apographum cum Muratoriano conferens nullum fere nomen exacte designatum sit reperturus. Sensit tamen *infeliciter descriptam* hanc inscriptionem ipse Muratorius, ut proinde interpretationem mancam, & hiulcam proposuerit. Habet & Donatius in Tom. I. *Supplem. ad novum Thesaur. Murator.* pag. 56. n. 4. Θεοὶ ἐπικείμενοι, *Dii adiacentes* forte iidem erant, ac Dii Πάρεδροι, de quibus Georgius Arnaudius, quique & σύνθρονοι, vel *Adhaerentes*, de quibus Gregorius Redius, vel etiam *Novensiles*, sic dicti a *novem*, & *sidendo*, idest *eadem sede praediti*, ut ait Marius Victorinus iuxta Salmasii emendationem. De hisce omnibus nonnulla & nos attigimus in Epistola ad Cl. Lamium, cui ipse locum fecit in Ephemeridibus Florentinis anni CIↃIↃCCLXIV. num. 31., & seqq. col. 483., & seqq., ubi de Diis Σύνναοις, & Συμβώμοις latius differuimus. ΣΠΕΙΡΗ, vel ut accuratius loquamur iuxta severiores Grammatices regulas, ΣΠΕΙΡΑ ΙΕΡΑ non aliud nobis fuit, quam *cohors sacra*, sive *Collegium Deorum*. *Spira* enim *multitudo*, *cohors*, *ordines* apud Festum valet. *Spirarches* habetur in inscriptione apud Fabrettium Cap. X. n. 29., & 30. pag. 676., qui censet fuisse eum, qui pompis, seu processibus ducendis praeesset; eae enim ex hominum, ac ministrorum multitudine coalescebant. Maurus Sartius Abbas Camaldulensium Monachorum iam vita functus in *Epistola de antiqua Picentum Civitate Cupra Montana* Cap. XXXIV. pag. 66. edit. Pisaur. refert inscriptionem, quam vidit in fundo Tavignano ad Musionem amnem in Cingulanorum finibus Auximum versus, ubi antiqui oppidi indicia se advertisse affirmat, & ex eo rursus adducit Donatius loc. cit. pag. 56. n. 4., quae sic se habet:

COLLEGIO . DEO. . . .
SACRVM
. . . . VSIDIVS . NVM
L . D . D

Alii legerant COLLICIO, vel COLLECIO, quod quinta, & sexta littera non parum attritae sint. Sed rectius Sartius censet legendum COLLEGIO. DEO*rum*, cum Deus *Collicius*, vel *Collegius*, qui ἐγχώριος Picentum fuerit, inauditus omnino sit. Et revera apud Gruterium ipsum pag. 2. n. 12. habetur inscriptio Ocriculana, in qua memoratur CONCILIVM . DEORVM . DEARVMQVE; tum ibidem

ibidem n. 11., & apud Tomasinium *de donariis* Cap. XX. pag. 144. habetur lapis sacer I. O. M. ET . CONSESSVI . DEORVM . DEARVMQVE . Insuper apud Gruterium ibid. n. 12. memoratur AEDICVLA . CONCILII . DEORVM . PRO . SALVTE . IMP. EX . VISV . DEAE . VALENTIAE . FACTA . Huc tandem revocari posse videtur THEOSTASIS, quam *in templo Minervae marmoribus, & impensa sua exstruxit P. Rutilius Syntrophus Marmorarius* apud Muratorium pag. 125. n. 2., cui *Theostasis*, vox ignota Stephanis in Graecis, & Latinis Lexicis, est *Concilium*, aut *Cubiculum Deorum*, sive etiam Porticus ante Minervae templum, in qua Deorum Concilium, aut Statuae essent. Postremo monebimus, hunc Cippum, sive Aram migrasse in Museum Vaticanum Clementinum.

(13)

TAB. LIII.

FIG. II.

LABERIA . FELICLA
SACERDOS . MAXIMA
MATRIS . DEVM . M. I

Retulit Reinesius Class. V. n. 58. pag. 390., tamquam *Romae* exstantem *apud Cassianum a Puteo Eq.*, Sponius Sect. IV. n. 1. pag. 151., qui insuper ex schedis eruditissimi Bagarrii figuram adiecit, Donius Class. I. n. 28. pag. 8., qui ponit *Romae in base, cui suppositus gryphs*, quod falsum omnino est, Fabrettius Cap. III. n. 553. pag. 215., qui & figurae, & arae non meminit, Montfauconius, qui ex Sponio adducit *Antiq. explic.* Tom. II. Par. I. Cap. X. Tab. V. n. 4. pag. 42., Van-Daleius *Dissert. I. De Taurobolio* Cap. VIII. pag. 97., ex quo integram figuram, utpote quae disrupta nunc est, nos excipiendam curavimus Tab. LIII. Fig. II., Caylusius *Recueil D'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques, & Romaines* Tom. I. Tab. LXXXIV. pag. 209., ac Donatius Tom. I. *Supplem. ad novum Thesaur. Murator.* pag. 78. n. 3. ex Sponio, sed sine figura *Laberiae Feliclae* (male scripsit Reinesius *Felicia*, ut etiam *Felicola*, aut *Falicla* alii perperam semper) *Sacerdotis Maximae Matris Deûm Magnae Idaeae*. Eius inscriptio, & anaglyphum citatur etiam a Ioh. Chrysostomo Scarfò in *Observationibus criticis in Antiquitates Borionii* pag. 27., a Banierio in eius *Mythologia* Lib. V. Cap. VII. pag. 169. Tom. V. edit. Neapol., & ab Academicis Herculanensibus in Tom. IV. Picturarum adnot. 8. ad Tab. LVI. pag. 280. Anaglyphi descriptionem accipe ex Sponio, quae fere iisdem verbis adducta etiam fuit a Donatio, quaque nulla accuratior haberi potest: *Laberia Sacerdos Cybelis cernitur velo capiti imposito, ut solebant sacrificantes, dextera pateram tenens super ara, quasi Numini suo libare vellet, sinistra catenam, aut simile quid gestans, cuius me mysterium latet, nisi sint tintinnabula, quorum usus in Matris Deûm caeremoniis receptus erat. Pendet autem ex humeris & alia catena. Ceterum appensum est collo ad pectoris regionem Iovis caput, qui mos a Dionysio Halicarnasseo Lib. II. Antiq. Rom. illustratur. Is enim de sacris Matris Idaeae loquitur:* Ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία· καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι. *Sacra autem eius peragunt vir Phrygius, & mulier Phrygia, & isti per urbem ea circumferunt Matri Deorum stipem cogentes, ut mos eorum fert, de pectore pendentes imagines gestantes.* Hactenus Sponius. Donius vero ita exponit: *Hic exsculpta est virgo, umbilico tenus velata, dextera tenens patellam super aram, in qua fructus positi, laeva coronam querneam, habens in pectore expressum Iovis caput.* Pectorale hoc, Sacerdotum Cybelis gestamen, προστηθίδιον Graecis audiebat, quod etiam cernitur in Signo Capitolino Archigalli, quod illustravit Dominicus Georgius, licet rursus a Winckelmannio adductum, ut anecdotum, Cybelem ipsam exprimere censuerit Tom. I. Monum. antiquor. Par. I. Sect. II. Cap. I. pag. 7. ad num. 7. Tom. II. Signum alterum, capite mutilum, sed Archigallum huiusmodi pectorali instructum exhibens habetur apud Montfauconium loc. cit. Tom. I. Par. I. Tab. IV. Catenam, cuius myste-

mysterium se non assequi ingenue Sponius fatetur, quamque pro quernea corona Donius accepit, habet etiam Signum Cybelis in Hortis Pontificiis Quirinalibus, immo tres catenulae, quibus suspenduntur totidem tintinnabula, pendent a manubrio, quod Numen sinistra gerit. Ceterum heic habetur, ut puto, ἀςραγαλωτὴ μάςιξ, flagellum nempe, cui officula, tali nempe, implicabantur ad duriores incutiendas plagas, quodque a Cybelis Sacerdotibus gestari consueverat, ut ab Apuleio *Metamorph.* Lib. VIII. erudimur. *Sacerdos* altera *Matris Deûm Claudia Acropolis* habetur etiam apud Gruterium pag. 308. Tandem Fabrettius ad nostram inscriptionem illud adnotat, *Feliclam* per aphaeresim frequentius forsitan legi in veterum monumentis, quam integro, & non abscisso cognomine *Feliculam*. Marmor hoc, etsi media sui parte nunc mutilum, migravit tamen in Museum Clementinum Vaticanum.

SECTIO II.
CONSULES.

(1)

GERMANICO . CAESARE . C. VISELLIO . CoS
XIII. K. OCTOBRIS . OSSA . CONDITA
TITIAE . T. L. PHOEBENIS
T. TITIVS . T. L. ANTEROS

Retulit Fabrettius Cap. VI. n. 144. pag. 477., & est apud Gudium ex schedis mss. Cap. XXII. Indicis Consulum pag. 64., sed mutila, & incorrecta. Fabrettius adnotat, constare ex Fastis Capitolinis, cum Germanico Caesare Consulem ordinarium processisse anno V. C. 765., Ch. 12., Caium Fonteium Capitonem, cui suffectus legitur ex Kal. Iuliis Visellius Varro. Lupius *Epitaph. Severae Mart.* §. XI. pag. 85., qui ad hunc lapidem provocat, admonet Pighium Consulatum hunc ad annum superiorem revocasse. Ceterum Fabrettius inscriptionem hanc praecipue adduxerat, ut adstrueret Libertos Libertorum, quos exstitisse antiquitus, nullum dubium. Quare hic Titus Titius, qui Titi Lib. erat, Patronus forte erat simul Titiae Phoebenis, quae & ipsa ab eodem Titi Libertae nomenclationem obtinuit.

(2)

VERO III ET AMBIBVL COS EX P
CLAVDIAE MARCELLI
NAE

Retulit Fabrettius Cap. VI. n. 55. pag. 447. hunc laterculum, qui ex Hortis Matthaeiis in suum Museum processit, & in quo adductae epigraphes lin. 1. continetur orbe exteriori, lin. 2. orbe interiori, & lin. 3. exstat in medio. Quare heic adnotat Fabrettius, hanc epigraphem quo ad Consulatum, qui incidit in ann. V. C. 879., Ch. 126., similem esse ei inscriptioni, quam ipse refert hoc ipso Capite n. VII. pag. 446., quaque & Norisius in sua *Epistol. Consul.* pag. 79. usus est ad emendationem Fastorum. Non placuit olim hoc Ambibuli cognomen Reinesio, qui in Epistola XLVI. ad Rupertum pag. 401. ad hanc inscriptionem ex Piccartinis:

L. VARIVS . AMBIBVLVS
ARTIACO . LIB

refecto AM, BIBVLO acquiescit, exemplo M. VARI . M. F. BIBVLI apud Gruterium pag. 472. n. 3. In suo tamen *Syntagmate Inscript.* Class. XIIX. n. 48. *Ambibulum* recipit, ut fecerat Class. IX. n. 12., & Class. XI. n. 33. Pagius quinetiam *Crit. Baron.* Tom. I. pag. 124. stat pro *Ambibulo*.

(3)

EX PR DOMITIAE PF LVCILL OF POMPEI
L AELIO CAESARE II ET LAB
COS

Retulit Fabrettius Cap. VI. n. 180. pag. 513., qui exstantem hunc laterem *sub Hortis Caeliis Matthaeiorum* in suum Museum migrasse asserit. Notat deinde, errorem heic in Consulatu II. L. Aelii Veri Caesaris (qui Hadriani fil. fuit), cum

LAB

LAB emendandum esse, inverso litterarum LAB ordine, ut BAL, scilicet BALBINVM, eius collegam ann. V. C. 890., Ch. 137., notare debeant.

(4)

LVPICINO . ET . IOVINO . C....
VICTORIES . Q. AN. XXV......
MARITO . FECIT . AN. XIII.....
ET . PVDICITIA . OMNIBVS.....

Retulit Maffeius inter Inscript. varias post *Museum Veronen.* pag. 267. n. 9. Flavius Lupicinus, & Flavius Valens Iovinus consulatum obtinuerunt ann. V. C. 1120., Ch. 367. Brissonius vero in *Commentar. de Spectac.*, *&* *de Feriis* pag. 54. edit. Lugd. Batav. 1742. ex Socrate *Histor. Eccles.* cap. X. Lib. IV. censet legendum *Ioviano*. Forte haec inscriptio ad Christianos Coniuges spectat; phrases enim id prodere videntur.

SECTIO III.

MAGISTRATUS ET VIRI ILLUSTRES.

(1)

M. ATILIVS . REGVLVS

Nomen hoc insculptum tradunt Antiquarii columnae marmoreae effossae in ipsis Hortis Matthaeiorum, cui forte superimposita Statua, vel Protome. Inter plures, qui *M. Atilii* nomen tulerunt, celebrior ille est, quem Consulem, & triumphalem Cicero appellat, quique captus a Carthaginensibus, & missus ab eis, ut captivi redimerentur, aut permutarentur, suasit Senatui, ut neutrum faceret, quod non e re publica id esset, & ad certam mortem, atque cruciatus in Africam reversus est. Huic forte, qui etiam Consul bis fuerat ann. V. C. 487., & 498., Protome columnae superimposita fuerat; cuius caput etiam habetur in Gemmis Stoschianis.

(2)

In fronte:

HIC . CONSECRATA . EST
SEX. AELI . TERTI . CONIVX
SERGIA . SYNTYCHE . SERGI
PAVLI . QVONDAM . PRAEFE
VRB . ALVMNI . CHRYSIPPI
ALVMNA . FECERVNT . AELII
TERTIVS . ET . COMA . INCOM
PARABILI . FEMINAE

A latere dextero:

D. M
SEXT. AELI . VICTO
RIS . SCRIBAE . QVE
STORI . FECERVNT
AELII
TERTIVS . ET . COMA
PATRVO

A latere sinistro:

D. M
L. AELI . PERPETVI
LEGATIONE . FVNCTI
PATRIAE . SVAE . COLONI
AE . VLPIAE . THAMVGA
DIS . EX . NVMIDIA
FECERVNT
AELII . TERTIVS . ET COMA
FILII . LEVCADIO

Retulit Gruterius pag. 1090. n. 14. Prior vero legitur etiam apud Felicem Contelorium *de Praefecto Vrbis*, qui ponit Sergium Paulum inter Praefectos incerti temporis pag. 94. Inscriptio vero mendosa est apud ipsum, & ordo linearum perturbatus. Accuratior vero est apud Eduardum Corsinium in nova *Serie Praefector. Vrbis* pag. 81., qui Sergium Paulum statuit ad ann. Christi 170. Quae heic adnotat Corsinius, iuvat nunc exscribere: ,, In sinistro vero eius lapidis latere iidem ,, Tertius, & Coma titulum posuerunt *L. Aeli* ,, *Perpetui legatione functi patriae suae Coloniae* ,, *Vlpiae Thamugadis ex Numidia*. Thamugadi ,, quidem oppidi, vel Urbis mentio saepius in ,, Itinerariis, ac in ipsa quoque Peutingeri Ta- ,, bula

„ bula reperitur, quemadmodum *Tamucada* Mauritaniae urbs a Procopio (*Vandal.* Lib. II.), „ & Auguftino (*Retract.* Lib. II. cap. 59.) memoratur, qui *Tamagudenfis Epifcopi* etiam meminit (Epift. 164.) Nullibi tamen *Tamugadi*, „ *Tamucade*, five *Thamugada* aut Numidiae, „ aut Mauritaniae urbs inter *Colonias* recenfetur, „ fi marmor iftud exceperis, in quo *Colonia Vlpia Thamugadis* appellatur, quod nimirum ab „ Ulpio Hadriano Augufto, qui *Mauritaniae Restitutor* in nummis vocatur, honorem illum acceperit. Itaque perfpicue apparet Sergium Paulum poft Hadriani Augufti tempora, ideoque „ poft annum Chr. 140. Praefecti munere perfunctum effe, & Sergiam Syntychem facris Ethnicorum ritibus confecratam fuiffe. Denique hic „ obiter obfervaffe iuverit, quod hic *Sergius Paulus* Urbis Praefectus eius L. Sergii Pauli filius, „ aut potius nepos effe potuit, qui anno Chr. 94. „ fuffectus fuit, atque in Muratorii marmore nominatur (pag. 314. n. 3.):

DEDIC. IX. KAL. OCT
TORQVATO. ASPRENATE. L. SERGIO. PAVLO
COS

(3)

POPVLONII
L. ARADIO . VAL . PROCVLO . V. C
AVGVRI
PONTIFICI . MAIORI
QVINDECEMVIRO . SACRIS . FACIVNDIS
PONTIFICI . FLAVIALI
PRAETORI . TVTELARI
LEGATO . PROPRAETORE . PROVINCIAE . NVMIDIAE
PERAEQVATORI . CENSVS . PROVINCIAE . GALLECIAE
PRAESIDI . PROVINCIAE . BYZACENAE
CONSVLARI . PROVINCIAE . EVROPAE . ET . THRACIAE
CONSVLARI . PROVINCIAE . SICILIAE
COMITI . ORDINIS . SECVNDI
COMITI . ORDINIS . PRIMI
PROCONSVLI . PROVINCIAE . AFRICAE . VICE
SACRA . IVDICANTI . EIDEMQ. IVDICIO . SACRO
PER . PROVINCIAS . PROCONSVLAREM . ET
NVMIDIAM . BYZACIVM . AC . TRIPOLIM
ITEMQVE . MAVRITANIAM . SITIFENSEM . ET
CAESARIENSEM
PERFVNCTO . OFFICIO . PRAEEECTVRAE (sic) . PRAETORIO
COMITI . ITERVM . ORDINIS . PRIMI . INTRA . PALATIVM
PRAEFECTO . VRBI . VICE . SACRA . ITERVM . IVDICANTI
CONSVLI . ORDINARIO

HVIC . CORPVS . SVARIORVM . ET . CONFECTVRARIORVM
AVCTORIBVS . PATRONIS . EX . AFFECTV. EIDEM. IVRE . DEBITO
STATVAM . PATRONO . DIGNO . PONENDAM . CENSVIT

Retulit Gruterius pag. 361. n. 1., qui hunc Cippum inventum tradit anno CIↃIↃLXI. fub Pio IV. P. M., quo anno fimul effoffae fuerunt aliae bafes, tabulaeque in Monte Caelio fub aede diruta S. Erafmi intra Hortos Monafterii S. Stephani Rotundi; unde facile in Hortos Matthaeios Cippus

pus hic noster translatus est. Fabrettius *Inscr.* Cap. II. pag. 99., & seqq., qui ad hanc nostram inscriptionem provocat, in ea est sententia, ut censeat, verba illa, quae extra epigraphem in honorariis elogiis, quae stylobatis statuarum inscribi solebant, tum etiam in regula coronicis, ut in nostro, vel in ipsa sima inversa apposita sunt, aliquando nomen ipsum honorati, vel partem nominis exhibuisse, aliquando vero nomina alicuius oppidi, aut loci sub tutela recepti, & propagationi honoris Patroni sui plaudentis, ut POPVLONII nostri apud Gruterium pag. 361. n. 1., & 2., tum ibid. pag. 362. n. 1., & 2., & pag. 363. n. 2., ac aliquando denique secundum aliquod, & peculiare cognomen, quo frequenter utebantur Romani, praefetulisse, cuius rei sint multa in antiquis inscriptionibus exempla. Sententiae huic adhaesit ipse Zaccherius in Institutione Antiquaria Lapidaria Lib. II. Cap. VI. §. II. pag. 235., & seqq., qui insuper animadvertit, aliquando haec nomina extra ordinem posita gignendi casu expressa fuisse, ut TRITVRRII apud Fabrettium ipsum pag. 100. n. 228., quo locum innui monet, & KAMENII apud Odericium in *veterum Inscriptionum Sylloge* pag. 132., quod pars nominis censetur, aliquando dandi casu, ut MANNACHIO apud Fabrettium pag. 100. n. 227., ac tandem etiam accusandi casu, iuxta Graecorum morem, ut FILVMENVM apud eumdem loc. cit. n. 226. Verum cum nos simillimum fere huic nostro elogium alterum apud Gruterium deprehenderimus pag. 363. n. 2., cui suprascriptum est lemma POPVLONII, quodque insuper *L. Aradio Valerio Proculo* ponit *Ordo, & Populus Puteolanorum*, saltem id assequi nobis visum est, nequaquam ad locum sub Patroni clientela positum POPVLONII nomen esse referendum. Vincentius Machirellius, sive potius Vir Cl. Hannibal Oliverius illustrans Cippum Pisauri inventum Novembre mense anni CIↃIↃCCLXX., & inscriptum T. CAEDIO. T. F. CAM. ATILIO. CRESCENTI, & in stylobate ZMINTHI nomen insculptum deprehendens Fabrettinam sententiam oppugnat pag. 32., & epigraphem POPVLONII praesertim nequaquam ad Etruriae urbem Populoniam referendam esse affirmat, cum & ipsa Strabonis aetate deserta esset, ceteraeque etiam Etruriae Civitates in praeceps ruerint, teste Rutilio Numatiano, hisce nostris lapidibus synchrono, qui ait:

Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris,
Grandia consumpsit moenia tempus edax;
Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.

Quare ipse putat hisce nominibus usque adhuc recitatis, & ceteris etiam VERZOBI apud Cl., ac piissimum Praesulem Ioh. de Vita in Inscript. Beneventanis Clas. III. n. 16., & Clas. VI. n. 3., & NEBVLI apud eumdem Clas. VI. n. 2., ipsoque lapidis Pisaurensis ZMINTHI marmorarium, sive statuarium indicari, ut proinde & *opus Zminthi* (quod nomen graece apud Murator. pag. 1020. n. 2., & latine apud Gruterium pag. 30. n. 4., & 5., & pag. 31. n. 3. habetur) & *opus Populonii*, *Verzobii*, & *Nebuli* intelligendum veniat. Ast si Vir Cl. animadvertisset, non solo gignendi casu, ut ipse ait, sed aliquando & dandi, & accusandi casu huiusmodi nomina expressa deprehendi, non adeo opinioni suae tribuisset, vel hanc difficultatem saltem amovere fategisset. Nos in tanta rerum incertitudine non ii sumus, qui aliquid decernere audeamus. Quare ultra progredimur. Gens Aradia praeter *L. Aradium Val. Proculum*, quem Cippus Matthaeianus prodit, tulit etiam *Q. Aradium Rufinum Valerium Proculum*, qui habetur apud Gruterium pag. 362. n. 1., & 2., pag. 363. n. 1., & 3., & pag. 364. n. 1., quique vixit *DD. Crispo, & Constantino Iun. Nobb. Caess. Coss.*, hoc est anno Chr. 321., tum & ipse consulatum gessit ann. 316., & eadem fere munia, quae dein noster, forte ipsius filius, sustinuit, insuper obivit. Munia haec ita nota sunt, ut illustratione non egeant. Monebimus idcirco obiter dumtaxat, *Pontificem Flavialem* eum fuisse, qui summum sacerdotium exercebat inter eos, qui Sodales Flaviales dicebantur, qui scilicet divinos honores Vespasiano Imp. post mortem decretos curabant. Cum vero ea aetate in usu essent *Comitivae*, seu dignitates Comitum, quae non perpetuae erant, sed iterabantur, hinc *Comes iterum* heic appellatur L. Aradius Valerius Proculus, quod etiam animadvertit Lupius in *Epitaph. Severae Mart.* §. V. pag. 20. Bis Urbis Praefectus fuit, hoc est anno 337., & 352., quod Gruteriana inscriptio pag. 361. n. 3. luculentius prodit, ubi legitur:

Hic bis Praefectus Patriae, Praefectus & idem
Hic Libyes, idem Libyae Proconsul, & ante
Ter vice qui sacra discinxit iurgia Iudex.

Anonymus Auctor indiculi Praefectorum Urbis ille est, qui annum superius designatum secundae Urbanae Praefecturae a nostro gestae indicavit. Verum consulatur de iterata hac dignitate nova Series

Series Praefectorum Urbis a Cl. Corsinio concinnata, pag. 188., & 210. Cum vero heic Proculus ipse vocetur *Consul Ordinarius*, & in metrica inscriptione dicatur:

Consul & aeterno decoravit nomine fastos,

aperte innuitur consulatus, quem ipse ann. Ch. 340. gessit una cum Fl. Septimio Acyndino. Tandem *Corpus Suariorum*, & *Confecturariorum*, eorum nempe, qui suillam carnem procurabant, & suilla coria conficiebant, idest tingebant simul, & subigebant, Proculo Patrono suo statuam posuit. Iam nos ad Tit. XLVI. *Legis Romanae*, seu *Responsi Papiani* pag. 284. adn. 1. observavimus, Corporatos eos fuisse, qui Urbis, vel provinciarum necessitatibus, praesertim in annonae specie, consulebant; quales nimirum erant *Pistores*, *Vinarii*, *Saccarii*, *Pecuarii*, & qui in nostro Cippo habentur, aliique huiusmodi, in corpora divisi varia, cum nimirum corpora de vilioribus opificibus, collegia de honestioribus artificibus, id est *Fabrorum*, *Dendrophororum*, *Centonariorum*, *Aurificum*, & similium dicta videantur.

(4)

TAB. L I V.

FIG. II.

NAERATIVS
CEREALIS . V. C
CONS . ORD
CONDITOR
BALNEARVM
CENSVIT

Retulit hanc inscriptionem Gruterius pag. 181. n. 3., tamquam exstantem *Romae in aedibus Caevolis via Iulia*, e Baronii Annalibus, & Castilionis schedis. Habet & Fabrettius Cap. X. n. 269. pag. 706., ubi omnia accurate praeter ultimam lin., quae omittitur, atque collocatur *in aedibus Barberiniis*. Fabrettinum exemplar habetur etiam in *Chronologia Cod. Theodosiani* ad ann. 358., & in nova *Serie Praefectorum Urbis* a Corsinio elaborata pag. 211. Tum Iacobus Manillius, & Dominicus Montellaticius in Hortorum Pincianorum gentis Burghesiae illustratione, prior nempe pag. 6., alter pag. 10. hanc ipsam inscriptionem, tamquam in iisdem Hortis exstantem sub signo Palladis adducunt. Tandem insculpta nunc cernitur Cippo eiusdem molis in Hortis Perettiis, nunc Nigroniis ad Portam Viminalem, & in area aedium Pallavicinarum in Quirinali. Verum Cippus noster hisce omnibus ornatior, & elegantior deprehenditur. Huiusmodi Cipporum multiplicitas argumento esse potest, ad diversos in Balnea ingressus hos positos fuisse, ut proinde noster locum frequentiorem respexisse videatur. Inscriptio altera, qua Naeratius honoratur a *Cursio Satrio*, iisdemque muniis insignitus exprimitur, refertur a Gruterio pag. 441. n. 3., & a Contelorio, ubi *de Praefecto Urbis* pag. 57., tamquam in Hortis Perettiis, tum etiam a Iacobo Manillio, & a Dominico Montellaticio locis superius citatis, tamquam in Hortis Burghesianis exstans exhibetur. Tandem & tertius eidem Naeratio inscriptus lapis, & effossus ad Arcum Septimii Severi ann. CIↃCCCXLVII. adducitur a Gruterio pag. 280. n. 6., a Baronio in Annalibus ad ann. 353., & a Contelorio, ac Corsinio locis iam laudatis. Quare, ut ex Anonymi serie apparet, Naeratius noster Urbanam obtinuit Praefecturam a. d. V. Kal. Octob. ann. 352., & a. d. VI. Idus Decemb. anni sequentis. Variae exstant in Codice Theodosiano Constitutiones Constantii Imp. *ad Cerealem Praef. Urbis*, quas indicat Corsinius; tum etiam Iuvenalis Interpres ad Sat. X. v. 24. Cerealem hac dignitate decoratum memorat. Consulatum vero ipse gessit ad annum 358., ut ex fastis eruitur. Balnea, quae condiderit Naeratius noster, nemo designavit, nullaque exstant vestigia, quae noscantur.

(5)

In fronte :

A G O R I I

VETTIO . AGORIO . PRAETEXTATO . V. C

PONTIFICI . VESTAE &	QVAESTORI
PONTIFICI . SOLI	CANDIDATO
QVINDECEMVIRO	PRAETORI . VRBANO
AVGVRI	CORRECTORI . TVS
TAVROBOLIATO	CIAE . ET . VMBRIAE
CVRIALI	CONSVLARI
NEOCORO	LVSITANIAE
HIEROPHANTAE	PROCONSVLI
PATRI . SACRORVM	ACHAIAE
	PRAEFECTO . VRBI
	PRAEE (sic) . PRAET. II
	ITALIAE . ET . YLLIRICI
	CONSVLI
	DESIGNATO

A latere sinistro :

DEDICATA . KAL. FEBR
D. N. FL. VALENTINIANO . AVG. III
ET . EVTROPIO . CONSS

Retulit Gruterius pag. 1102. n. 2., Aldus in *Orthographia*, Van-Daleius Differt. I. *de Oraculis Ethnicorum* pag. 124. edit. Amstel. 1683., & Differt. I. *de Origin.*, *ac ritib. sacri Taurobolii* Cap. I. pag. 8. edit. Amstel. 1702., sed non exacte prorsus, tum Ioh. Iacobus Chiffletius in libro, cui titulus: *Geminiae Matris Sacrorum titulus sepulcralis explicatus: verus exequiarum ritus una detectus &c.* pag. 8. edit. Antuerp. 1634., sed dextera tantum columna adducta, omissa sinistra, & reiecta explanatione ad pag. 59. Habet insuper Contelorius *de Praef. Urb.* pag. 62., sed perturbato ordine columnarum, tum etiam Corsinius in nova *Serie Praef. Urb.* pag. 243., sed non ad fidem autographi. Alia pene similis inscriptio, tamquam ad *S. Alexii*, refertur a Grutero pag. 486. n. 3., sed mendose, tum rursus adducitur a Sponio *Miscell. erud. antiq.* Sect. IV. pag. 149. In hac inscriptione *Vettius Agorius* salutatur *Praefectus Praetorio Africae*, quod munus in nostra desideratur, quodque vel ipse proinde exercuit post Matthaeianum elogium exaratum, forte altera hac inscriptione anterius, vel per oblivionem, & socordiam in eo omissum fuit. Sponiana haec basis (sic enim utpote ab eo accuratius prolatam lubet appellare) superfuisse videtur Statuae, quam Symmachus, qui eius panegyricum scripsit, eidem poni rogavit Valentinianum. Ceterum in nostra basi multae exprimuntur dignitates, quae desunt in Sponiana, etsi in hac LEGATVS . AMPLISSIMI . ORDINIS . SEPTIES Vettius dicatur, quod in nostra non designatur. Cum *Fabia Aconia Paulina* titulum, qui cernitur nunc in vestibulo inferiori Musei Capitolini, posuerit (ut patet ex Gruterio pag. 310. n. 1., & ex VanDaleio cit. Diff. I. *de orig.*, *& ritib. Taurobolii* Cap. VI. pag. 79., & 80.) *Caeliae Concordiae Virgini Vestali Maximae* multis nominibus, & hoc praefertim, *quod ipsa prior Statuam Vettio Agorio eius viro conlocaverit*, facile coniici posset, nostram hanc basim Statuae a Vestali Maxima eidem dedicatae subiectam fuisse. Ast dedicantis nomen suppressum rem dubiam facit. Graeca alia inscriptio a Gortyniis excitata in Vettii honorem anno Chr. CCCLXVII. adducitur a Corsinio loc. cit. ex Gruterio, ex qua patet, ipsum fuisse ΕΠΑΡΧΟΝ . ΤΗΣ . ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΗΣ . ΤΩΝ . ΝΗΣΩΝ, *Praefectum reginae insularum*, scilicet Cretae. Lapides

pides, alii ad Vettium noſtrum ſpectantes extant apud Franc. M. Bonadam *Carmin. ex antiq. lapidib.* Vol. I. Claſſ. III. pag. 252., & apud Donatium *Suppl. ad nov. Theſ. Murator.* pag. 72. n. 2. Tum apud Gruterium pag. 309. n. 2., 3., & 4. occurrunt inſcriptiones aliae poſitae *Fabiae Aconiae Paulinae filiae Aconii Catulini ex-Praef., & Conſulis ordinarii, & Vxori Vettii Praetextati*, quae variis in locis fuit *Sacrata Baccho, Cereri, & Corae*, tum fuit *Tauroboliata Iſiaca, & Hierophantria Deae Hecates*. Sed ad Vettium noſtrum progrediamur, cuius pars nominis in baſis corona poſitum cernitur, de qua re fuſius a nobis dictum fuit hac Sect. n. 3. Variae Codicis Theodoſiani leges eidem inſcriptae ſunt, tamquam Praefecto Urbi, & Praefecto Praetorio, ut proinde ex ipſis a Corſinio citatis appareat, illud munus XV. Kal. Sept. ann. CCCLXVII., & ſeq. anno III. Kal. Febr. exercuiſſe, hoc vero anno CCCLXXXIV. Paullo poſt hanc initam poſtremam dignitatem, quam memorat Symmachus epiſt. 34., & 37. Lib. X., mortem obivit, quae dein ab eodem deſcribitur epiſt. 23., 24., & 25. cit. Lib. X., & epiſt. 38., & 49. Lib. I. Meminerunt etiam eiuſdem Ammianus Marcellinus, & S. Hieronymus epiſt. 61., ubi refert, Vettium noſtrum a S. Damaſo Pontifice ad Chriſtianam fidem invitatum reſpondiſſe, ſe ad baptiſmi lavacrum acceſſurum, ſi Romae Epiſcopum ipſum renunciaſſent. Ceterae civiles dignitates, quas ſuſtinuit, ita notae ſunt, ut illuſtratione non egeant. Illud praeterea ſolum monebimus, ipſum fuiſſe ProConſulem Achaiae ex Iuliani Aug. beneficio anno CCCLXIV., & Praefectum Praetorio Illyrici, & Italiae anno CCCLXVII. Conſulatum vero ipſi deſignatum morte praeventus gerere non potuit. Ceterum de eo hiſce dignitatibus inſignito conſule *Proſopographiam Codicis Theodoſiani* litt. P. Nunc expendenda veniunt ſacra munera ab eo peracta. De notiſſimis quid dicere iuvat? Auguralem inter ceteras dignitatem obivit, quam a noſtro geſtam innuit Cenſorinus *de die natali* Cap. XVII., ubi ait: *Sed quid apud Varronem legerim, non tacebo; qui libro antiquitatum duodevigeſimo ait, fuiſſe Vettium Romae in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis docto in diſceptando parem: eum ſe audiviſſe dicentem: Si ita eſſet, ut traderent hiſtorici, de Romuli urbis condendae auguriis, ac duodecim vulturibus, quoniam* CXX. *annos incolumis praeteriiſſet populus Romanus, ad mille, ac ducentos perventurum*. Hinc *Taurobolíatus* etiam fuit, ſcilicet ſacro Taurobolio accepto, de quo laudatus VanDalcius, aliique luculenter diſſeruerunt, Matri Deûm, & Attidi ſacratus. Fuit & *Hierophanta*, qui Dionyſio Halicarn. Lib. II. idem eſt, ac Pontifex, id eſt Summus Sacerdos Deae Hecates, qui nimirum initiandos ſacris ipſius Deae myſteriis aſſumebat. Hinc apud Gruterium pag. 27. n. 4. habetur *Vlpius Egnatius Faventinus* HIEROFANTA HECATE. *Pater ſacrorum* tandem ſalutatur, id eſt Antiſtes Bacchi, qui & Rex Sacrorum dicebatur, cuius myſticum coniugium cum Regina Sacrorum, caelibatus pertaeſa, primus omnium ex Etruſcis Picturis detexit Cl. Paſſerius Tab. CCXXIII., CCXXIV., aliiſque Tom. III. Verum Iacobus Gutherius *de vet. iure Pontif.* Lib. I. cap. VII. ad Vettium noſtrum provocans, & utramque columnam inſcriptionis noſtrae permiſcens vocat ipſum *Patrem Sacrorum Achaiae*, qui nimirum altera columna e regione *ProConſul Achaiae* nominatur. Dedicatio baſis, cui ſuperimpoſita Statua, cum heic facta deſignetur Fl. Valentiniano Aug. III., & Fl. Eutropio Valeriano Conſulibus, revocanda eſt ad annum Chr. 387.

In

(6)

In fronte :

. . . .
PROBITATE . MORVM . INDVS
TRIAQVE . VIVENDI . ADQVE . VTRIS
QVE . LITTERIS . ERVDITO . IAM . INDE
A . MAIORIBVS . SVIS . INLVSTRIBVSQ
FAMILIIS . CIVITATIS . PATRONO . CVIVS
OPERA . AC . BENEFICIO . RECEPIT . CIVITAS . ELEMEN
TVM . CVIVS . MEATVM . SERIES . TEMPORIS . VETVS
TASQVE . CONSVMSERAT . NAM . EIVS . CVRA . SVMP
TVQVE . AQVA . MODO . NON . DIIS . I (sic) NECESSA
RIIS . VSIBVS . CIVITATIS . BERVM . ETIAM . IN . ERV
ENDO . PLVRIMIS . IN . LOCIS . SPLENDIDISSIMVM
VRBI . PRESTITIT . ORNAMENTVM . HVIC . IGITVR . OB
HAEC . INSIGNIA . GENERA . MVNIORVM . STATVAM . SAENNIN
SIVM . ORDO . DECREVIT . ATQVE . IN . AETERNE . VRBIS
PRIVATIS . EIVS . AEDIBVS . CONLOCAVIT

A latere finiſtro :

DEDIC . IDVS . AVG . DD . NN
ARCADIO . III . ET . HONORIO . II
AVGG . CONSS

Retulit Sponius Sect. II. art. 7. pag. 36. Provocat ad hanc inſcriptionem Petrus Polidorius in *Expoſitione veteris tabulae aeneae, qua M. Salvius Valerius emporii Naunani patronus cooptatur*, ad pag. 458. Tom. VII. Collectionis 1. Venetae Calogerianae Opuſculorum. Nomen benemeriti Viri, oblitteratum eſt ex odio forte adverſariorum quorumdam, ut de inviſorum Imperatorum monumentis contigiſſe ſuperius Claſſ. VIII. Tab. XLVIII. pag. 88. adn. 9. monuimus. Saenenſis Urbs heic memorata eſt Σαῖνα *Saena* Tuſciae Ptolemaeo, vulgo *Siena*, Tacito Senenſis Colonia. Sponius ex pravitate characterum, & ex ſtili inelegantia circa Conſtantini M. tempora conditam hanc baſim exiſtimat; ſed ſi lemma ad latus ſiniſtrum inſcriptum legiſſet, ex Conſulatus nota ad annum Chriſti 394. referendam cognoviſſet. Etiam ſequioribus imperii temporibus Graecas litteras Romae excultas oſtendemus in peculiari opere, quod paramus *de Graecitate extra Graeciam variis temporibus uſurpata, & exculta*. *Vtriſque litteris eruditus*, Graecis nempe, & Latinis, illuſtris hic vir fuit, ut apud Gruterium pag. 625. n. 8., ubi *C. Terentius Fructus* monumentum ponit ATTICO SER*vo*, qui fuit LITTERATVS . GRAECIS . ET . LATINIS . LIBRARIVS .

(7) FL.

(7)

FL. PEREGRINO . SATVRNINO
A . PRIMIS . ADVLESCENTIAE . SVAE . ANNIS
PACE . BELLOQVE . IN . REPVBLICA . DESV
DANTI . POST . IVGES . EXCVBIAS . MILITIAE
TRIBVNO . MILITVM . COMITI . ORDINIS
PRIMI . MODERANTI . INLVSTREM . SACRI
PATRIMONII . COMITIVAM . SECVNDO . VRBI
PRAEFECTO . CVIVS . OB . TESTIMONIVM . MORVM
INTEGRITATIS . ADQVE . IVSTITIAE
SINGVLARIS . INLVSTRIS . VRBANAE
PRAEFECTVRAE . GEMINAM . DIGNITATEM
SACRO . IVDICIO . AETERNI . PRINCIPES
DETVLERVNT . MERITORVMQVE . INSIGNIVM
CONTEMPLATIONE . AD . POSTERITATIS
MEMORIAM . DECORANDAM . STATVAM
SVB . AVRO . FVLGENTEM . IN . FORO . DIVI . TRAIANI
ERIGI . CONLOCARIQVE . IVSSERVNT

Retulit Sponius Sect. IV. pag. 129., & Reinesius in Append. num. 20., veluti in *Hortis Matthaeianis* exsistens. Habetur etiam in adnotationibus Iacobi Sirmondii ad Sidonium Apollinarem, atque ab eo dicitur haec inscriptio *non inelegans, & nondum edita*, atque ab ipso observata *Romae in Hortis Montaltinis in Exquilio*. Occurrit etiam apud Corsinium in *Serie Praefect. Urb.* pag. 311., & seq. Sponius putat, hunc Praefectum Urbi ultima vice sub Valentiniano II., anno Chr. 382. fuisse, ut proinde Statua eidem erecta fuerit, regnantibus simul Valentiniano Iun., Theodosio, & Arcadio. Sed Corsinius, qui eumdem censet, ac *Peregrinum Comitem, & Procuratorem Domus divinae*, cui lex Arcadii, & Honorii anni 399. (*Cod. Theod.* Lib. IX. tit. 42. leg. 16.) inscripta est, quod quidem munus idem esse videtur, ac *moderans illustrem sacri patrimonii comitivam*, ut in nostra basi habetur, ad annos 401., & 402. utramque urbanae praefecturae administrationem a Peregrino gestam amandat; cum ex Cod. Thodosiani auctoritate hoc officium moderantem anno 382. statuerit Caium Flavium Placidum Severum. *Statua sub auro fulgens* idem est, ac deaurata, vel sicuti antiquae inscriptiones loquebantur, *Statua auro illustris, auro superfusa, sub auro, & in auro*; quod opus a bractearíis perficiebatur.

(8)

D . M
C . NONIO
C. F. ARNENSI
PROCVLO
COS

Retulit Gruterius pag. 1098. n. 2. ex Sirmondi schedis; at deest in nominum indice Iosephi Scaligeri Iulii Caesaris filii. Exstat in praegrandi Cippo, litteris uncialibus. In Fastis Consularibus numquam occurrit Caius Nonius Proculus. Forte is Consul fuit, vel II. vir Municipii extra Romam; quod Consulum genus iam innotuit ex plurimis aliis veterum monumentis; quodque illustravit post Scaligerum, Casaubonium, Cuperium, Chimentellium, Norisium, Ottonem, Fabrettium, Gorium, Maffeium, Turrium, Cecconium, Mazochium, aliosque Eduardus Corsinius de *Burdigalensi*

lensi Ausonii Consulatu. In quo Municipio id munus ipse obiverit, quis divinet? Ceterum veteres lapides nobis produnt in Arniensi Tribu Forum Iulii, Clusium, Brixellium, Sumatiam, Florentiam, Histonem, Bleram, & Carthaginem censitas fuisse. Gens Nonia fuit plebeia, cui & cognomen Balbus apud Dionem Lib. I., & Suffenas, & Quinctilianus in Nummis accessit. *M. Nonius Balbus* PR*aefectus* PRO. CO*n*S*ulis*, vel PR*aetor* PRO. CO*n*S*ul* ab Herculanensibus equestri Statua aenea decoratus fuit, ut celebri fama omnibus non ita pridem innotuit. In nostro lapide *Proculi* cognomen obtinet.

SECTIO IV.
OFFICIA CIVILIA.

(1)

TAB. LV.
FIG. I.

D . M . S
IVLIAE . IVSTAE . ANTIOCHVS . AVG
N̄ . LVCCONIANVS . ARK . PROVINCIAE
AFRICAE . CONIVGI . KARIS . FECIT

Retulit Muratorius pag. 906. n. 4. e schedis Ptolomaeis. At lin. 1. deest littera S., & lin. 2. legitur LVCCVNIANVS. De Arkario haec adnotat: *Arkarium Provinciae Africae quum audis, eum excogita, qui nobis nunc est* il Tesoriere. Cerne Tab. LV. Fig. I., ubi aere caelata habetur haec Inscriptio, & mulieris protome. Ara columnis striatis antrorsum ornatur.

(2)

D . M
L. CORNELII . L. F. PAL
TERENTIANI
SCRIB. AEDIL. ET . X. VIR
V . A . XXV. M. X. D. XX
TERENTIA . THALIVSA
MATER . FILIO . PIISSIMO
CVM . SECVNDA . ET
IVSTA . ET
MARONIANO . FIL
FECIT

Retulit Gruterius ex Smetio pag. 326. n. 4., qui collocat in *S. Maria in Porticu*. Lin. 5. legit THALLVSA. Scriba aedilitius is erat, qui aedili apparebat; nam Scribae consueverant ea sibi adscribere elogia, quibus magistratibus Scribae fuissent. Plura alia sunt in inscriptionibus exempla. Decemvir an agris iudicandis, an legibus ferendis, an sacrorum, an stlitibus iudicandis heic habetur, cui Terentianus noster aderat, ut acta in tabulas referret? Definire non audeo.

(3)

T. MANIO . T. F
PALAT
CLEMENTIANO
SCRIB . AEDIL
CVRVL
LICTORI . CVRIATIO
FILIO . PIENTISSIM

Retulit Gruterius pag. 326. n. 6., & Fabrettius Cap. X. n. 297. pag. 708., qui tamen lin. 2. habet MANLIO, & lin. ult. PIENTISSIMO, tum ipsam ponit *ad Divi Paulli*. Deest tamen apud Cornelium Margarinium, qui ethnicas, & sacras inscriptiones Basilicae Ostiensis adduxit. Repete, quae superius de Scriba aedilitio habentur. Lictores Curiati dicebantur, qui sacris publicis populi Romani Quiritium praesto erant, legesque ferebant in foro triginta veterum curiarum vice, quas trigesimo numero repraesentabant.

(4)

C. IVLIO . C. F
QVIR . PRISCO
SCRIBAE . QVAEST

PRAEF.

PRAEF . FABR . II
IVLIVS . SECVNDVS
PATER . ET
CASSIA . L. F
PRISCILLA . MATER
FILIO . PIISSIMO
ET . SIBI

Retulit Reinesius *Syntag. Inscr.* Class. XI. n. 16. pag. 614. Scriba quaestorius erat inferior ordine, quam aedilitius, aut praetorius. Vid. num. 2.

(5)

TAB. LVI.
FIG. II.

L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Retulit Gruterius pag. 630. n. 3. ex Smetio, qui vidit *Romae in Ara Caeli*. Habetur etiam apud Panvinium Lib. *de Civ. Roman.* Cap. LXVII. *de Minist. Magistr.* col. 325. Tom. I. *Antiq. Roman.* Graevii, apud Pignorium *de Servis* pag. 284. edit. Amstelod. 1674., & apud Montfauconium *Antiq. explic.* Tom. V. Par. I. Lib. II. Cap. XIV. n. II. Tab. LX. pag. 82. ex Boissardio, ubi schema aeneum Cippi, & longa illustratio. Schema nos etiam addimus Tab. LVI. Fig. II. Apud Gruterium pag. 14. n. 13., & apud Fonteium *de Gente Caesia* Lib. II. Cap. XIV. pag. 161. habetur etiam L. VRBANVS . V. C. NOMENCLATOR . CENSORIVS . Nam Censores Nomenclatoribus utebantur, quod cum apud ipsos profiterentur Cives nomina sua, uxorum, liberorum, liberatorum, servorumque, Nomenclatores proinde Censoribus nomina in memoriam revocarent, licet cives non citarent nominatim; quae, ut patet ex Valerio Maximo Lib. II. cap. 9., partes erant Praeconis, qui *leg. ult. de iur. immunit.*, & apud Gruterium pag. 1116. n. 4. (etsi lapis male oleat Maffeio in *Art. crit. lapid.* Lib. III. cap. IV. col. 389.) *Buccinator nominum* appellatur. Translata vero in Caesares censoria potestate, NOMENCLATOR . A . CENSIBVS hoc officium dictum est, quod ex veteri inscriptione apud Pignorium, Kirchmannium, & Gruterium denique pag. 599. n. 4. luculenter patet. Cippus hic nunc exstat in Museo Clementino Vaticano.

(6)

D . M
AGARIAE
AGATHE
P. OSTIENSIS . HALLVS
TVTOR . SEVIR. AVG. ET
AGRIA . THRYPHOSA . HEREDES
DE . SVO . FECERVNT
B . ET . SI . BI . M

Retulit Gruterius pag. 446. n. 6. & Muratorius pag. 193. n. 4. ex Ligorio, qui ponit *Romae apud Marsilium Gothifredum*. Seviri Augustales in civitatibus, coloniis, aut municipiis erat honestus ordo infra Decuriones, at supra plebem. Disputatur inter eruditos, an ad magistratum, vel ad sacerdotium pertinerent; certum vero est, eos iuri dicundo in sacris praefuisse. Ex hac incertitudine factum, ut ad huius Sectionis calcem hunc lapidem coniiceremus.

SE-

SECTIO V.
OFFICIA DOMUS AUGUSTAE.

(1)

TAB. LVIII.
FIG. IV.

DIS . MAN
FLAVIAE . NVSAE
ASTECTVS . AVG. LIB
A . COGNITIONIBVS
LIBERTAE . BENE . DE . SE . MERITAE

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 513. pag. 208., ſed male legit NISAE lin. 2. Hoc loco ipſe animadvertit, officium A. COGNITIONIBVS, quod jam explicaverat *ad Tabellam Iliadis* pag. 337., ſecundum varias actiones, varios, atque hos modo Libertos, ut in noſtra inſcriptione, modo Servos, ut in ſequenti, expoſtulaſſe. Munus hoc praecipue erat *obſervare*, & *referre*, ut accurata hac relatione inſtructi Caeſares opportune *cognoſcerent*, *ſtatuerent*, *iudicarent*. Ita nimirum *συνωνύμως* haec verba uſurpat Cicero Epiſt. II. ad Atticum Lib. XVI., & apud ICtos obvium eſt paſſim *cognitionis* verbum de iudiciis uſurpatum. Unde inclinantis Imperii temporibus *Sacrarum Cognitionum Iudices* in inſcriptionibus ſaepe occurrunt; qui etiam *Vice Sacra Cognoſcentes*, aut etiam *Iudicantes*, ut ſupra Sect. III. n. 2., appellantur, ac tandem ſemel tantum *Vice Sacra Iudices Cognitionum*, ut notas has S. I. C. explicat Scaliger. Quare non bene Sponius Sect. VI. pag. 207. haec adnotat ad aliam *T. Flavii Abaſcanti a cognitionibus* inſcriptionem: „ *Cognitiones* ſequioribus ſae„ culis erant *homagia*, tum etiam arma, ſive „ inſignia, quibus familiae ab aliis diſtinguebantur, ut videre eſt in Gloſſario mediae, & in„ fimae Latinitatis. Sed in iſta inſcriptione, quae „ primorum Caeſarum tempore ſculpta eſt, *co„ gnitiones* forte erant idem, ac recognitiones, „ & *a cognitionibus* recognitor, Graecis Ἀντιγρα„ φεύς, noſtris *Controlleur*. „ Haec recitare, refellere eſt.

(2)

D ❦ M ❦
DELICATVS ❦ AVGG ❦
ADIVT ❦ A . COGNITIONE
DOMINICIS ❦ OBIIT ❦ IN . EX
PEDITIONE ❦ GERMANICA
VIX ❦ ANN. XVIII ❦ M ❦ VII. D. VIII
FRATRI . PIISSIM . FRATRES

Retulit Sponius Sect. VI. pag. 207., tamquam *apud Bellorium*, ac lin. 2. legit AVG., & lin. 4. DOMNICIS. Fabrettius habet Cap. III. n. 514. pag. 208., qui ponit in Hortis Matthaeiis. *Delicatus* heic nomen proprium, non blandimenti, ut etiam *Delicioſus*, *Delicium* apud Latinos, & ἀπαλὸς apud Graecos, de quo dicendum a nobis erit inferius. Adiutor officii cuiuſcumque erat veluti Vicarius, ſive ſubordinatus miniſter. De *Cognitionum* officio vide ſuperius.

(3)

DIS . MANIBVS
CHRYSAORI . AVG . LIB
PRAEGVSTATORI
BENEMERENTI
COLLEGIVM
PRAEGVSTATORVM
FECIT . CVRAVIT
ERIDANVS . AVG . LIB
PROCVRATOR

Retulit Muratorius ex ſchedis Ptolomaeis, & Donio pag. 528. n. 5., ubi ſic adnotat: „ Nunc „ primum noſcendum ſe praebet *Collegium Prae„ guſtatorum*, quod utique in aula Auguſtorum in„ ſtitutum fuit ex Libertis eorumdem. *Praeguſta„ torum Procuratorem* in Gruteriano quoque lapi„ de habes. Notum eſt, eorum munus fuiſſe ci-
„ bum

„ bum, ac potum Caesarum praegustare, ut fidem „ facerent non immixti veneni. „ Nonnullas habet Fabrettius inscriptiones Cap. V. pag. 380., ut probet multis a fluminibus nomen partum. Heic habes *Eridanum*; nosque etiam inferius adducemus *Nilum*, & *Velinum*. Tum *M. Fonteius Meander Medicus* adducitur a Fabrettio Cap. I. n. XXXV. pag. 16., & a Zaccherio in Biblith. antiq., & recenti Tom. III. Par. I. Sect. I. Art. III. pag. 178., ubi tamen male habetur *Nicander*. Apud Reinesium Class. IX. n. 48. pag. 568. occurrit *Euphrates*, etsi male oleat Masseio in *Art. crit. lapid.* Lib. III. Cap. IV. col. 416., tum *M. Vlpius Aug. Lib. Euphrates* habetur etiam apud Fabrettium Cap. III. n. 486. pag. 199. A Reinesio quinetiam Class. XI. n. 1., & a Fabrettio n. 531. pag. 669. adducitur *C.*, sive, ut alter legit, *L. Alfius L. L. Isocrysus Medicus*. Tres insuper a fluminibus *Rheno*, *Danuvio*, & *Euphrate* cognominati exstant apud Gruterium pag. 1125. n. 1., licet Masseio in *Art. crit. lapid.* Lib. III. Cap. IV. col. 389. parum probetur haec *Sirmondi familia geographica Euphrates Pater*, *Rhenus*, & *Danuvius Nepotes*. *Scamander* praeterea veneficus Troici amnis nomen gerit apud Ciceronem in Orat. pro Cluentio. Huiusmodi nomina a fluminibus petita etiam apud veteres Christianos, & ipsos Hebraeos obtinuerunt: nam *Nilus* Martyr habetur apud Ruinartium, *Cl. Inachus* apud Fabrettium Cap. X. pag. 548., tum adest *Alfius Iuda*, qui post Gudium pag. 263. n. 5., & Wesselingium *de Iudaeor. Archontib.* Cap. IX. pag. 88. adductus a me est in Ephemeridibus litterariis Florentinis ann. CIↃIↃCCLXXII. num. 48. col. 760., & a Cl. Caietano Migliore in *Curis posterioribus ad inscriptionem M. Iunii Pudentis adversus Anonymi convicia* ad not. 27. pag. 18. *Alphaei* quinetiam, amnis in Helide nomine gaudebat Divi Iacobi Apostoli pater, cuius quatuor vicibus in Novi Testamenti libris mentio occurrit.

(4)

AFER . TILIVS
TI · N̄ . A . MANV
A . L . V . SS . C . S . M . E

Retulit e Mazochio Gruterius pag. 584. n. 10., qui ponit *Romae in domo Ludovici Matthaei*. Tiberii Imp. amanuensem, qui *a manu* dicebatur, heic habes. Hic praetermissus est inter ceteros Secretarios a Zaccherio adductos in Bibliotheca veteri, ac recenti historiae litterariae Tom. III. Part. I. pag. 181. Siglas non assequor, extricet qui potest.

(5)

VERNESIAE
CYCLADI
CONIVGI . OPTIMAE
VIX . ANN . XXVII
VITALIS . AVG. L
SCRIBA . CVB

Retulit Gruterius pag. 576. n. 2., qui ponit apud Horatium de Valle, & post inscriptionem haec addit: *Hic subiiciuntur vir, & uxor dextris copulatis: inter eorum capita sunt litterae* F. A. P. Verum cum nostra epigraphe insculpta sit in Ossuario, in vasis modum conformato, nescio, quomodo siglae illae, quae a Gruterio adducuntur, inscribi potuerint, & capita coniugum addi, praesertim cum Ossuarium integrum sit, nec ullibi attritum appareat. Retulit & Fabrettius Cap. IV. n. 10. pag. 248., tamquam *in Villa Perettia*, nunc Nigronia, ubi & ego vidi, & exscripsi in tabula tamen marmorea. Ipse legit VERNASIAE, & ibidem revera ita legitur, quemadmodum lin. 4. habetur AN. Quod ipse lin. 2. scribat CICLADI, & lin. 5. LIB., ipsius vel licentiae, vel oscitantiae tribuendum. Lin. ultima habetur *Scriba Cubicularius*, (pariter a Zaccherio omissus) is nempe, qui Gallis est *Secretaire de la chambre*. Ut plurimum qui hoc officio fungebantur, libertini erant, aliquando tamen ingenui. *Vernasiae* nomen ab hac epigraphe, quam triplicem agnovimus, mutuatus est falsarius ille, qui titulum marte suo cudit, & putide sculpsit Cinerario antea anepigrapho, quod nobilis Vir Franc. Eugenius Guascus Alexandrinus, Musei Capitolini Curator perpetuus, dono dedit Clementi XIV. P. M., & dein Commentario illustravit, quodque locum immerito obtinuit inter cetera nobilissima, & sincera antiquitatis monumenta, quibus Museum Clementinum Vaticanum locupletatur. Urna haec veteris quidem operis, si marmor, & anaglypha observes, vacuam exhibebat eam frontis partem, ubi defuncti titulus incidi consueverat. Siquidem Marmorarii sarcophagos, Urnas, ceteraque id genus parare satagebant, quae praesto essent ementibus pro opportunitate, relicto tamen vacuo spatio, in quo vel facies, vel elogium defuncti apponc-

poneretur; quemadmodum data opera omnis five effigies, five titulus faepe negligebatur ab iis, quorum ex Epicureorum inftituto, quibus latere curae erat, poftumae famae nihil intererat, quique etiam idcirco per compendiarias notas ipforum nomina exprimebant, ut adnotavit Fabrettius Cap. I. pag. 22. Favit hoc vacuum turpi falfarii avaritiae, cui integrum fuit, marmorea lamina fuperimpofita inducere parentantem *Vernafiae Domitiam Matrem Cubicularium*, nefcis an Auguftae, vel alterius, ex novo, ac commentitio prorfus *Collegium Lacrimantium* operculum addens urnae, quod alterius fuit, ut docet litterarum forma diverfa, quae in Urna, & operculo advertitur, fphalmata infcitiae indices, & cacographiam a vetuftate alienam infuper exhibens, & fucum faciens tironibus, ceterifque, quibus non emunctae nares funt, aut acre iudicium. Expellatur ergo huiufmodi monumentum a celebri illo antiquitatis Sacrario, in quo adulterata teffera praeeunte hofpitium obtinuerat, redeatque ad Propolam a Theatro Pompeii ad Divi Andreae Vallenfis in vico fabrorum clavium, apud quem anepigraphum, & illiteratum antea iacuiffe compertum eft.

SECTIO VI.

PROFESSIONES ARTES ET COLLEGIA.

(1)

TAB. LIX.

FIG. II.

DIIS . MANIBVS
TI . CLAVDII . QVIR
ALEXANDRI
PHILOSOPHI . STOICI
BACCHILVS . ET
AMBROTVS . LIB
PATRONO
BENEMERENTI

Retulit Fulvius Urfinius inter *Imagines*, & *elogia Virorum illuftrium* pag. 70., Gruterius pag. 388. n. 5., & Muratorius pag. 690. n. 1. Vid. Tab. LIX. Fig. II., ubi Cippum adduximus. Capitolinus in vita M. Antonini Claudium quemdam Maximum Philofophum Stoicum nominat M. Imperatoris praeceptorem; fed hic Alexander cognominatur. Zaccherius in Bibliotheca antiqua, & recenti hiftoriae litterariae Tom. III. Part. I. pag. 175. inter ceteros Philofophos ex lapidibus erutos hunc etiam habet; quorum etiam multi funt ex fchola Zenonis Stoicorum principis. Migravit nunc hic Cippus in Mufeum Clementinum Vaticanum.

(2)

TAB. LX.

FIG. III.

PVBLILIV . SEVERIANV
ET . BLOLO . FILIVS

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 203. pag. 382., qui D. M. contra marmoris fidem addidit. Hoc loco hanc epigraphem adduximus, cuius fchema habetur Tab. LX. Fig. III., quod Francifcus Ficoronius in Veftigiis Romae, ubi de Roma recente, pag. 69. putat alicuius Epicurei Philofophi cineres in hac urna reconditos fuiffe; quod forte porcum in urna infculptum refpexerit, & ad illud Horatii Lib. I. Epift. IV. attenderit: *Epicuri de grege porcum*. Urna eft ornatiffima, quam idcirco fic defcribit Fabrettius; *Ludicra puerorum monumentis apponi folebant; hinc in noftro lapide puer porcum adducens, alius dex. papilionem, fin. corollam tenet; alius dex. aviculam, fin. botrum*. Praeterea adftant ad utrumque latus pueri inverfam facem tenentes, qua Promethei ignis, hominibus inditus ad vitam ipfis infpirandam, extinctus fignificetur. Neque accenfa face folummodo animam, feu vitam expreflerunt veteres, fed etiam

tiam papilione, qui heic habetur. Hoc siquidem Pythagoricae, & Heracliti scholae commune fuit, ut ψυχὴν papilionem vocarent, & pro symbolo animae pingerent. Existimabant enim veteres, animam esse auram tenuissimam, levissimamque, ore receptam, pulmonum ope purgatam, calefactam in corde, & inde per totum corpus diffusam, cui errori locum dedisse putat Lactantius necessitatem respirandi; ut proinde eam Graeci dixerint ψυχὴν, nomine communi & spiritui, & insecto volanti, puta papilioni, ut est etiam apud Hesychium, cui ψυχὴ, [illegible], quod nempe anima, & papilio pari levitate donentur. Vide haec differentem Auctorem, qui per compendiarias notas M. A. V. N. se prodit, *Antiq. sacr., & civil. Romanor. explic.*, *Hagae Comitum* 1726. ad Tab. XVI. Vid. & Sponium *Miscell. erud. antiq.* Sect. I. Art. III. Tab. III. pag. 8. Hinc Constantinus Porphyrogenita *Caeremon. aulae Byzantinae* Lib. I. cap. XCI. pag. 240., ubi de Leonis Imp. renunciatione, scribit, Graecos papilionem, seu tentorium appellasse ψυχάριον, atque papilionem esse Romanam vocem tentorio inditam, quod vela papilionis, vel tentorii, variis coloribus distincta, referant similitudine illius animalculi alas, quod Romani papilionem appellant: Sic enim ait: τὰ παραπε- [illegible] καλοῦσιν. Ceterum Cl. Corsinius in Dissert. III. de Nummo Antonini Caesaris, quae habetur Tom. III. *Symbolar. litterar. Gorii*, in ea est sententia, ut censeat, morem repraesentandi humanam mentem sub papilionis imagine non ex miris huius volucris affectionibus, & natura, non ex ipsa animi immortalitate, circuitu, aut transmigratione, non ex Chaldaicae, Graecaeque sapientiae fontibus, non ex arcanis Amoris mysteriis, sed ex sola artificum imperitia profluxisse. Cum enim unum, idemque *Psyches* nomen papilionem, & animum designet, rudis artifex, qui primus animum exprimendum suscepit, non putavit huius ideam posse melius excitari, quam obiecta imagine illius rei, quacum is commune nomen habet. Illud postremo monebimus, Urnam hanc in Museum Clementinum Vaticanum inlatam esse.

(3)

ΔΙΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ
ΣΘΕΝΝΙΣ ΕΠΟΙΕΙ

Dion Philosophus Ephesius
Sthennis fecit

Retulit Sponius Sect. IV. pag. 126., ubi haec ait: „ Dionis huius Philosophi Ephesii nemo, „ quod sciam, adhuc meminit. Suidas plures memorat huius nominis: Dionem Hipparini filium „ Syracusanum, Philosophum Platonicum: Dionem Cocceium patria Nicaenum, qui Romanam Historiam scripsit: Dionem Pasicratis filium „ Prusaeum Sophistam, ac Philosophum, quem „ & Chrysostomum cognominarunt. Cocceius Lib. „ XXXIX. Dionem quemdam refert Alexandrinum, legatum ad Romanos Ptolemaei Auletis „ tempore. Dionis Epidauri mentio est apud Pausaniam. Dionis Diapyri apud Athenaeum Lib. „ IX., & Dionis Chii, qui primus Bacchicum „ spondaeum tibia cecinit, Lib. XIV. De Sthenni „ etiam nihil habeo, quod proferam. Is videtur „ vel Sculptor fuisse, qui Dionis Statuam fecisset, vel Architectus, qui monumentum aliquod, in quo Dionis, & aliorum insculpta erant „ nomina, erexerat. Tales enim lapides sex, aut „ septem exstant simul in Villa Matthaei, quos „ suo referemus loco. Forte enim Sthennis ille „ idem est, quem Plinius Sthenim vocat Lysistrati fratrem, Sculptorem Alexandri M. tempore „ florentem circa Olympiadem CXIV. „ Retulit etiam in Tomo II. *Voyage &c.* pag. 138. Vid. & Franciscum Iunium in Catalogo Artificum post Opus *de Pictura veterum* pag. 202., ubi de Sthenni Sculptore. Zaccherius in Philosophorum catalogo ex lapidibus confecto Dionem hunc non habet.

(4)

ΥΠΕΡΙΔΗΣ ΡΗΤΩΡ
ΤΕΥΣΙΑΔΗΣ ΕΠΟΙΕΙ

Hyperides Rhetor
Teusiales fecit.

Retulit Sponius ibid. pag. 137., de quo ita breviter: *Hyperides celeberrimus Orator Atheniensis Platonis auditor inter praecipuos decem Oratores numeratur.* De Teusiale Sculptore silet Iunius, eique nos locum fecimus in nostra ad eius catalogum Appendice.

TAB.

(5)

Tab. LXI.

FIG. IV.

DIIS . MANIBVS
L. CIARTI
HYPERETIS
FECIT
P . CIARTIVS . HELOPS
PAEDAGOGO
L . CIARTI . SCYRI
COLLACTEI
SVI

Retulit Fulvius Urfinius inter *Imagines*, *& elogia Virorum illuftrium* pag. 95., Gruterius pag. 585. n. 8., nulla tamen in Indice Scaligeri citatione, Sponius Sect. VI. n. 1. pag. 228., fed non emendate, Fabrettius Cap. VI. n. 158. pag. 485., tandem Iacobus Oifelius adnotat. 58. ad *Caii Inftitut.* Lib. I. Tit. I. pag. apud Schultingium 23. Hunc noftrum habet Zaccherius in catalogo Paedagogorum, quos ex lapidibus petiit, cit. Biblioth. Tom. III. Part. I. pag. 184. *Collactei* vero, ut adnotat Fabrettius, iidem Latinis Scriptoribus, & probae notae lapidibus, ac *Collactanei*. Vid. Tab. LXI. Fig. VI. Cippo expreffam epigraphem.

(6)

D . M
NOETO
TI . CLAVDIVS
EVANGELVS
COMPEDAGOGI
TAE . SVO . F

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 99. pag. 361., & Sponius Sect. VI. pag. 228. Hunc carpit Fabrettius, quod pedeftri explanatione *pueros compaedagogii* eos effe ait, qui fub eodem Paedagogo educantur, Compaedagogitas, qui fimul Paedagogi erant. Nec deftruit, fervum fuiffe Compaedagogitam noftrum Evangelum, quod nomen Claudiae gentis affumpferit; quandoquidem olim fervum (ut fervile illud olim nomen, nunc cognomen denotat), fed infcriptionis tempore iam libertatem adeptum eumdem opinari licet: eoque facilius, quo lectiffima fervitia Paedagogis adfcripta fuiffe & Lipfius, & Turnebus, & Donatus, & Rhodiginus, aliique obfervarunt. Quare quicumque ex hac nobili quodammodo fervorum conditione emergebant, titulos priftinae fervitutis addere non erubefcebant. Noftri a Zaccherio omiffi in elencho Paedagogorum, cui etiam addi poterunt *Beneficius Leletes Paedagogus puerorum* apud Befotium in Hiftoria Bafilicae S. Crucis in Hieruf. Cap. XXV. pag. 208., & *Hothus Aug. Lib. Paedagogus* apud Odericium n. 39. pag. 211.

(7)

TRANSLATA
DE . SCHOLA
MEDICORVM

Retulit Winckelmannius Monument. antiq. anecdot. Vol. II. Part. IV. Cap. V. pag. 242., & nos Tom. I. horum Monumentorum Claff. IV. ad Tab. LX. pag. 54., fed tunc haud omnino accurate. Multa tamen ibi adnotavimus, quibus nunc parcimus. At praeftat nonnulla alia nunc animadvertere. Verba haec bafi Statuae Amazonis infculpta id nobis confirmant, quod legibus cautum accepimus. Vetitum nempe erat Statuas e regione, vel provincia in aliam transferre, vel ex urbe in villas, vel pagos, ne fuis locis fubmoverentur, quibus erant ornatui. Confule praefertim *leg.* 43. *ff. de legat. I.*, *leg.* 2. 6. 7. *Cod. de aedif. privat. & leg.* 1., 14.; 32. *Cod. de oper. publ.*, ubi Gothofredius. Ceterum aliquando Statuarum, aliorumque monumentorum translatio indulgebatur, fi eadem e deteriore in meliorem locum fieret, quod infcriptionibus profiteri folebant. Hinc SIGNA. TRANSLATA. EX. ABDITIS. LOCIS. AD. CELERITATEM (leg. *celebritatem*) THERMARVM. SEVERIANARVM apud Fabrett. Cap. IV. n. 173., Cl. Ignarram *de Palaeftra Neapolitana* Part. I. Cap. V. pag. 130., & eruditiffimum Zarillium in anonymo Opufculo adverfus Winckelmannium pag. 16. EX. LOCIS. ABDITIS. VSVI. ATQVE. SPLENDORI. DEDIT. SATRIVS. CRESCENS apud fpectatiffimum pietate, & erudi-

tione

tione Virum Ioh. de Vita *Thesaur. antiq. Benev.* pag. 26. n. 9. TRANSLATA . EX . OBSCVRO . LOCO . CVRANTE . IVNIO . GALLIENO apud Fabrett. loc. cit. n. 499. STATVAM . IN . CAPITOLIO . IACENTEM . IN . CELEBERRIMO . FORI . LOCO . CONSTITVI . IVSSIT . VAL . PALLADIVS apud Maffeium *Mus. Veron.* pag. 107. Optandum sane esset, huiusmodi memorias insculpi nunc etiam tot veterum monumentis, quae a pristinis locis avulsa, ubi praesertim inventa sunt, eam saepe lucem amittunt, quae historiae ab ipsis afferri poterat. Vid. Figrelium *de Statuis* Cap. XXXVI. pag. 303., ubi de Statuis Principum non servandis in locis immundis, funestisque, & doctissimum Iuvenem Caietanum Marinium in Dissertat. de tribus antiquis Candelabris a Clemente XIV. aeternae memoriae Pontifice in Museum Vaticanum inlatis in Tomo III. Diarii Pisani pag. 143., & 144. Schola Medicorum Romae erat in Exquiliis, cuius in ruinis Pyrrhus Ligorius Statuas, & marmora invenit, & inscriptionem hanc repertam Mercurialis profert *de arte gymnastica* Lib. I. Cap. VII: M. LIVIO . CELSO . TABVLARIO . SCHOLAE . MEDICORVM . Ad hanc olim spectasse etiam censet Blasius Cariophylus pag. 342. Hermam Asclepiadis Musei Capitolini.

(8)

ΤΙΜΟΘΕΟΣ . ΑΘΗΝ.....
ΠΟΛΥΚΡ..............

*Timotheus Athen*iensis
*Polycr*itus fecit.

Retulit Sponius Sect. IV. pag. 135., ubi haec habet: „ Timotheus celebris fuit Atheniensium „ Dux exercitus, Cononis filius, de quo Athe- „ naeus Lib. XIII. Timotheus quidem cum ali- „ quando irrideretur, quod eum meretrix gene- „ rasset, illi se gratiam habere dixit, quia pro- „ pter eam Cononis esset filius. Fuit & alter Ti- „ motheus famosus tibicen, sed Milesius. Timo- „ thei Atheniensis ex Eumolpidarum gente, & „ in Eleusi urbe caeremoniarum Antistitis Taci- „ tus sub finem Histor. Lib. IV. mentionem ha- „ bet. „ Polycriti Architecti meminit Plutarchus *Graec. quaest.* 37., & Iunius in catalogo Artificum pag. 132. Forte idem & Sculptor.

(9)

TAB. LXII.

FIG. I.

M . AEBVTIVS . M . L
MACEDO . PATER
M . AEBVTIVS . M . L
CALLISTRATVS . F
V. M. AEBVTIVS . M. L. EROS
V. IVLIA . L. L. BERENICE . V
IVLIA . L. L. HESVCHIVM
POMPONIA . L. L. SELEN[E]
CLODIA . Ↄ. L. ANTIOCIS

Retulit Fabrettius Differt. II. *de aquis, & aquaeduct.* n. 129. col. 1716. Tom. IV. *Thesaur. Antiq. Roman.* Graevii, ubi Cippi typus, a nobis etiam adductus Tab. LXII. Fig. I., cerni poterit. Nonnulla fabrilia instrumenta heic expressa habentur, quae quidem Cippis sepulcralibus insculpebantur, ut cuius professionis defunctus fuisset, constaret. Quare heic cernitur norma, licet enormis, amblygonia; atque perpendiculum, cuius crura claudicant, tum etiam pes, in quo quidem non solum exacta mensura, quia tribus scrupulis Caprtolinum excedit, quotis sane deficit alius, qui a Gruterio pag. 644. n. 3. recensetur, verum etiam diligens partium divisio desideratur; praesertim quia nec alii etiam duo Cossutii, & Statilii omnino conveniunt, ut Philander supponit, sed discrimen, modicum quamvis, inter utrumque intercedit, ut Lucas Paetus adnotavit. Quapropter instrumenta haec sculpta potius sunt ad significandam defuncti professionem, quam ad praebendam instrumentorum accuratam mensuram. Provocat ad hoc marmor Franciscus Ficoronius in Monumentis primi, & secundi Labici pag. 95., ubi paullo superius accuratiorem typum exhibet aenei pedis Romani, quam antea exhibuerat in Vestigiis veteris Romae ad pag. 94., cuiusque expositionem

nem

nem legere eſt apud Nicolaum Galeottium in *Monumentis veter. memoria Franc. Ficoronii repert.* pag. 136. poſt *Gemmas antiq. litterat. eiuſdem.* Aſt luculentius de noſtro marmore, & pede antiquo Romanorum differit Didacus Revillaſius Monachorum Hieronymianorum Antiſtes in Diſſertatione, quae IV. eſt Tomi III. Speciminum Diſſertationum Academicarum Etruſci litterarii caetus Cortonenſis ad pag. 111., quaeque de antiquo pede Romano, & de inſtrumentis antiquo ſepulcrali marmore inſculptis agit. Ibi enim ad pag. 118. haec habentur: *Il piede Ebuziano conſervaſi nella Villa Mattei ſcolpito con altri fabrili ſtromenti, malamente però eſpreſſi, nel timpano di altro ceppo ſepolcrale di ſaſſo, detto volgarmente piperino. Il Fabretti, che coll' iſcrizione di M. Ebuzio, diligentemente anche il diſegno della pietra eſpone, lo trovò maggiore del Capitolino di tre ſcrupoli: lo che verrebbe a corriſpondere a parti Parigine* $1333\frac{3}{5}$; *ſecondo però le noſtre oſſervazioni non dovrebbe eſſere, che di parti* $1314\frac{2}{5}$. *Quantunque l'indiligente ſcolpitura degli altri ſtromenti (fra i quali la ſquadra moſtra un angolo ottuſo) e la vile qualità della pietra ſembri non meritino, che gran caſo ſi faccia di queſto monumento; nulladimeno ſe appunto ſi fa rifleſſione alla qualità del ſaſſo poco atto a più dilicato lavoro, credo poſſa condonarſi allo ſcultore quella non grande differenza, che tra queſto piede ritrovaſi, e gli altri ſcolpiti in marmi più fini.* Hic Cippus, qui ad Architectos pertinuit, ex Hortis Matthaeiis ad Muſeum Capitolinum iuſſu Benedicti XIV. translatus eſt una cum Statiliano, Coſſutiano, & Capponiano, quorum omnium mentio in recenti marmoreo monumento, quod Capitolio affixum in Praefatione ad Tom. I. adduximus.

(10)

PRAECEDERE . VOLVISTI . SANCTISSIMA . COIVX
VT . ME . RELINQVERES . IN . LACHRIMIS
SI . EST . ALIQVIT . IN . INFERNAS . PARTES . BENE
EGO . AVTEM . SINE . TE . VITAM . SORDIDAM . EXIGO
ESTO . FELIX . ET . IBI . DVLCISSIMA . THALASSIA
EDVCATRIX . C. V. ET . IN . CONNVVIO . PER . ANNOS . XXXX
PAPIRIVS . VITALIS . ARTE . PICTORIA . MARITVS . EIVS
FEMINAE . INCOMPARABILI . FECIT . SIBI . ET . SVIS

Retulit Sponius Sect. VI. pag. 229., & Fabrettius Cap. III. n. 622. pag. 235. Primus quidem parum accurate habet, qui lin. 4. initio omittit EGO . AVTEM, nec ſervat verborum ſitum, licet ab ſe exſcriptam hanc inſcriptionem ipſe aſſerat. Siglas C. V. legendas ſuſpicatur *Cara Uxor*. Alter adducit, ut hac inſcriptione imitatam oſtendat formulam RELICTIS . PARENTIBVS . SVIS . INFELICISSIMIS, quae legitur in alia inſcriptione ab ipſo allata Cap. III. n. XLV. pag. 199. Papirius Vitalis Pictor a nobis addetur catalogo Artificum a Iunio elaborato.

(11)

TAB. LXIII.

FIG. I.

DIIS . MANIBVS
M . CAECILIO . SP. F. SVC
RVFO . SOLIARIO . AB . LVCO
SEMELES . EX . TESTAMENTO
EIVS . CALVISIA . ZOSIME . ET
M. CAECILIVS . CALLIPPVS
HEREDES
FECERVNT

Retulit Gruterius pag. 643. n. 8., & pars dimidia tantum adducitur a Franciſco Heiſſelio Cap. XXIII. Indicis Gudiani pag. CIII., ubi ait, inveniri in Gloſſis veterum *Solar* δίφραξ, ideſt ſolium; unde etiam *Solla appellantur ſedilia* apud Feſtum. Quare M. Caecilius Rufus *Soliarius* idem erit, ac ſedilium artifex. Locus deſignari ſolebat, ubi opifices officinas ſuas aperiebant; ut proinde ſaepe occur-

occurrat in veterum monumentis PVRPVRARIVS. DE. VICO. TVSCO apud Fabrettium Cap. X. n. 231. pag. 701., CALIGARIVS. DE. VICO. CYPR*io* apud Sponium Sect. VI. pag. 220., LANARIVS. A. VICO. LORET. MINOR. apud Fabrettium Cap. X. n. 377. pag. 716., LANARIVS. DE. SVBVRA apud Muratorium pag. 964. n. 2., FLATVRARIVS. DE. SACRA. VIA apud eumdem pag. 983. n. 5., FABER. LECTARIVS. AB. CLO*a*CA. MAXIMA apud eumdem pag. 956. n. 7., NVMVLARIVS. DE. CIRCO. FLAMINIO apud Vignolium *Inscr. selecl.* pag. 341., ac tandem AVRARIA. ET. MARGARITARIA. DE. VIA. SACRA apud Murator. pag. 964. n. 1., ut plures huiusmodi nunc praetereamus. *Soliarius* noster artem suam exercebat ad *Lucum Semeles*, ut EBORARIVS quidam apud Fabrettium Cap. X. n. 388. pag. 717., qui etiam A. LVC. SEMEL. designatur, & a nobis una cum superioribus in catalogi Iuniani Appendice afferetur. Quidam A. LVCO. LIBITINA*e* a Grutero adducitur pag. 971. n. 8., qui immerito forsan a Maffeio in *Art. crit. lapid.* Lib. III. cap. IV. col. 374. in suspicionem adducitur, cum ait: *Quid etiam in Luco Libitinae lateat, difficile est divinare*; cum nimirum constet ex Dionysio Halicar. Lib. IV., exstitisse θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, [illegible] *Veneris in luco positum, quam Libitinam appellant*, in quo nummos inferebant cognati pro singulis defunctis ex Regis Servii praecepto, ut de morientium numero constaret. Lucos Diis sacros exstitisse apud ethnicos, notissimum est apud omnes. *Lucus Astarthes* memoratur etiam Lib. III. *Reg.* XV. 27., & Lib. II. *Paralip.* XV. 16., & *Lucus Belial* Lib. III. *Reg.* XVI. 28. Ἱερὸν Ποσηδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος, *sacrum Neptunium praeclarum lucum* memorat Homerus in Βοιωτίᾳ Iliad. II. v. 13. Ἄλσος Μούσαις ἱερὸν, *lucus Musis sacer* in Oppido Columnensi erat, ut constat ex lapide, quem nunc adservat amplissimus S. R. E. Card. Franc. Xav. Zelada, quem plures publici iuris fecerunt. Apud Ovidium quinetiam *Fast.* Lib. II. v. 435. mentio habetur *Luci Iunonis*. Virgilius vero *Aeneid.* Lib. VII. v. 759. innuit *nemus Anguitiae*, idest Medaeae, ad Lacum Fucinum. Exstant apud Gruterium Luci plures, nempe *Bellonae* pag. 313. 1., *Deae Diae* pag. 121., *Herculis* pag. 1063. n. 5., & *Satrianae Deae* pag. 89. n. 3. Apud Muratorium quinetiam habetur *Lucus Iunonis Curetis* pag. 480. n. 3., & alter *Augusto sacer* Perusiae exstans pag. 103. n. 3. *Lucus Furinae* adducitur a Gudio pag. 62. n. 6. *Lucus Mithrae* habetur in lapide Divionensi apud Philippum a Turre *de Mithra* Cap. V. pag. 214. *Lucus Decidiorum* Capuanus in lucem prodiit ex anecdota inscriptione a nobis edita in Ephemeridibus Litterariis Romae anni CIↃIↃCCLXXII. n. XXX. Lucus sacer Bononiensium, lauris consitus, a Cl. Paciaudio excogitatus est in eius Commentario de *Puteo sacro Agri Bononiensis* Part. II. §. IV. pag. 41. Lucus sacer Pisaurensium innotuit ex eruditissimo Hannibale Oliverio in *Marm. Pisaur.* pag. 201. Tandem Lucus sacer Ravennatium ab ipso ad examen revocatur in Dissertatione de Inscriptione L. Antidii Ferocis in Tom. XIX. Collectionis novae Venetae Opusculorum, & in Tom. II. Speciminum Societatis Litterariae Ravennatis. Cippum ornatissimum, in quo nostra epigraphe insculpta est, adduximus ad Tab. LXIII. Fig. I.

(12)

P. CAECILI . P. L. HERMETIS
(*sic*)
EPIPPIARI
(*sic*)
CAECILIAE . P. L. NOBILINE

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 339. pag. 712., & Franciscus Heisselius Cap. XXIII. Indicis Gudiani pag. C. ex Ms. Cod. Gudii. Ioh. Koolius ibidem ait, Gudianam epigraphem diversam videri a Fabrettina, licet ambae in Hortis Caelimontanis Matthaeiorum designentur. Nam Gudiana ita se habet:

P. CAECILI . P. L. HERMENIS
EPFPPIARI
CAECILIA . EPINCHILINIS

Quis non videt imperitum aliquem exscriptorem hisce nominum discriminibus, quae in diversitatis suspicionem inducerent, occasionem dedisse? Quadratarii error est EPIPPIARI scriptum, cum EPHIPPIARI, idest artificis stragulorum, quibus equi sternuntur, sive *tegminis equi ad mollem vecturam parati*, ut ait Nonnius II. 312., legendum videatur. Iuniano veterum Artificum catalogo hic etiam nostro studio, & opera accedet.

D. M

(13)

D. M	D. M
TI . CL . NEPTVNALI	STEPHANO
FILIO . PIISSIMO . FEC	ACTES . N
TI . CL . THALLVS	PISTORI . VIX . A . XXIV
TI . CL . THESEI	SATVRNINVS
LIBERTVS	SORORIS . F
	CONSACRAVIT

Retulit Fabrettius Cap. III. n. XII. pag. 124., qui ait hunc lapidem ſibi perhumaniter conceſſum ab Exmo D. Alexandro Matthaeio Iovii Duce, qui inter alios plures in ſuis Hortis Caeliis exſtabat. *Stephanus Piſtor* ſervus fuit *Actes*, quae non alia eſt, quam Claudia Acte Neronis Liberta, & pellex, quam *parum abfuit, quin ſibi iuſto matrimonio copularet, ſubmiſſis conſularibus Viris, qui regio genere ortam peierarent*, ut ait Svetonius cap. 28. Triſtanus *Comment. hiſtor.* Tom. I. pag. 242. eamdem Actem hanc eſſe exiſtimat Neronis concubinam, quam Divus Ioh. Chryſoſtomus, a S. Paullo, cum Romae degeret, ad Chriſtianam religionem converſam tradit. At Neronis libido non iſta ſola' concubina contenta fuit; teſtis enim eſt Svetonius ibidem dicens: *Utique poſtquam meretricem, quam fama erat Agrippinae ſimillimam, inter concubinas recepit*. Idem porro Triſtanus nec ad Svetonium reſpiciens, nec Xiphilinum a ſe expenſum recte intelligens, Acten, *cuius genus, ut ſplendorem ei adſtrueret, ad Attalum regem porrigebat*, ut Lipſius in Taciti *Annal.* Lib. XIII., aliique ibidem adnotant, ab Attalo neſcio quo adoptatam ſomniavit. Nonnullas alias inferius adducemus inſcriptiones, quae pluria exhibent Actes mancipia.

(14)

D. M
EVVODIO
PVBLICO
RVBLIANO . AB
OPERA . PVBLICA
ET . FORTVNATAE
DELICIO . BARBIA
SECVNDA . FEC

Retulit Gruterius pag. 624. n. 6., & Fabrettius Cap. I. n. LXIII. pag. 44., qui *ex Hortis Matthaeis* apud ſe ipſum migraſſe ſcribit. Hanc inſcriptionem, ut & ceteras, exhibet Fabrettius, ut oſtendat, *Delicium* etiam femellas vocari ſolitas. Nos *Evvodium* praecipue reſpeximus, qui fuit *ab opera publica*, quam deſignare facile non eſt.

(15)

D. M
TITVLOS . SACRI
BE . LVDOS . VEL
SI . QVID . OPE
RIS . MARMOR
ARI . OPVS . FV
ERIT . HIC . HA
BES

Retulit Muratorius pag. 492. n. 3. ex ſchedis Ptolomaeis, tamquam exſiſtentem *Romae in Aedibus Matthaeiorum*.

(16)

D. M	D. M
TI . CLAVDI	CLAVDIAE
APOLLONI	ONESIME
ARGENT	
VIX . AN . LX	
CLAVDIA . FELICVLA	
FILIA . FECIT	

Retulit Muratorius pag. 945. n. 3. ex ſchedis Ptolomaeis, tamquam exſiſtentem *in Villa Matthaeiorum*. An *Tiberius Claudius Apollonius* fuerit Vaſcularius argentarius, qui nempe vaſa argentea fabricaverit, an argentariam exercuerit, quaeſtumque facerit aut permutandis pecuniis, aut foenerandis, quis tuto affirmaverit? *Claudia Felicula* occurret etiam inferius, tamquam uxor *Ti. Claudii Oneſimi Actes Liberti*, cui vel ſanguine, vel ſervi-

ſervitutis iure pertinuiſſe etiam videtur *Claudia Oneſime*, quam habes in altera huius noſtrae inſcriptionis parte, & cui *Claudia* ipſa hoc nomine, & patri uno tempore parentaverit.

(17)

CN. CN. CN. SEPTVMIEIS . CN. CN. C. L.
PHILARGVRVS . MALCHIO . PHILEROS . ARG
CORNVFICIA . Ɔ . L. SELENIO
SEPTVMIA . CN. CN. L. AVGE

Retulit Maffeius inter *Inſcr. var.* poſt *Muſ. Veron.* pag. 267. n. 3. Heic habes Argentarium, de quo numero ſuperiore. Bartholomaeus Cavaceppius Marmorarius ab Hortis Matthaeis ablatam hanc inſcriptionem obtinuit, & ab eo comparavit Vir Cl. Ioh. Ludovicus Blanconius Saxonici Electoris Romae Orator, qui Clementi XIV. P. M. dono dedit, ut nunc proinde in ambulacro Vaticano, quo iter eſt ad Muſeum Clementinum, conſpiciatur.

(18)

L.L. SCANTI. L.L.DEMETRIVS. ET. HELIADES
MERCATORES
SCANTIA . L. L. AMMIA
SCANTIA . SP. F PVTILLA
SCANTIVS . L. F STATVS
L.SCANTIVS.L.L.L.ZETVS.DE.SVA.PEC.FAC.CVR

Retulit Gruterius pag. 1115. n. 7. ex Sirmondio, qui vidit *in hortis Matthaeiorum*.

(19)

NOMINA . QVE . ADSCRIPSERVNT . DECVR
EA . QVAE . I. SS
T. SATELLI . EVTYCHI FR HERMIAE . FONTEI
T. SATELLI . IVSTINI APPVLEI . AMPLIATI
ASIATICI . CAESARIS FESTI . CALPENI
BESIAE. IVCVNDAE. P.L FONTEI . EVARISTI
SVAVETTIAE . LACESIS IVNI . MAXIMI
SVAVETTIA.AMARYLLIS SVAVETTIVS . ALEXA
QVI . HOC . COLLEGIVM DD
IMP . CAESARE . VESPASIANO
T. CAESARE. AVG. F. VESPASIANO COS

Retulit hoc inſcriptionis fragmentum Muratorius pag. 308. n. 2. ex Ligorio, & Donio, tamquam exſiſtens *Romae in domo Alexandri Matthaeii*, ubi haec adnotat: „ Siglas in 2. linea I. SS. interpretare: *Infra Scripta ſunt*. Aut excidit ex temporis vetuſtate, aut inobſervata fuit exſcriptori nota II., hoc eſt iterati Conſulatus Veſpaſianei. Fieri tamen potuit, ut a nonnullis primus hic crederetur Conſulatus Veſpaſiani eiuſdem. Hoc poſito, nullus tunc numerali notae locus fuiſſet. Anſam vero ita credendi dediſſe potuiſſet primus Conſulatus ſuffectus, nobis tantum e Svetonio notus, ſed anno hactenus ignoto, quo Veſpaſianus idem eiuſmodi honore auctus fuerit. „ Conſulatus vero incidit in annum Chriſti 70. Artifices, Mercatores, aliique id genus homines in collegia coire conſueverant, atque idcirco huic inſcriptionis fragmento heic nunc a nobis factus eſt locus.

(20)

A . V. G . ↑ . N
FONTI . AVG
M . P . R ♡
REFECIT . FVLONI
NOS . PHILIPPORV

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 498. pag. 333. Controverſiae olim erant inter Magiſtros Fontanos, & Fullonum Collegium, ut de aquarum uſu iſtis maxime neceſſario penſionem pendere cogerentur, a qua tamen abſolutos fuiſſe dicitur in lapide reperto ad Aggerem Servii pone Eccleſiam S. Antonii Abbatis in Exquiliis, Alexandro Severo contemporaneo, qui refertur a Fabrettio ipſo Cap. IV. n. 170. pag. 278. Quod Fullones in Collegium cogerentur, docet fragmentum ad Vineam Mandoſiam in Aggeris extremitate extra veterem Portam Collinam exſiſtens, quod profert idem Fabrettius loc. cit. n. 497. pag. 333. Aliquam veluti umbram connexionis huius corporis Fullonum cum Fontanis oſtendit lapis iſte inemendatus, & inemendabilis, ſed ita ex parva baſi in Hortis Matthaeiorum a Fabrettio exſcriptus.

SE-

SECTIO VII.
MILITES.

(1)

C. CLODIO . CRISPINO . COS
Q. RAMMIO . MARTIALE . PR . C. MAESIo . TERTIO . S . PR
L. NVMERIO . ALBANO . TR
7 . C. IVLI . C. F. SERG. RVFI . IADER . PRINCIPALeS
INFRA . SCRIPTI . AEDICVLAM . ET . GENIVM . CENTVRIAE . DD

B. S.PR 7	Q.MARIVS.	ARN.	PROCVLVS.	HIST	LIB. CH	C.OCCIVS.	ARN.	SIMILIS.	BLER
VEX.IN 7	SEX.IVLIVS.	TRoM.	CLEMENS.	VET	SEC. TR	M.TERENTIVS.	PAP.	CALLISTVS.	TIc
OPTIO.IN 7	C.LVCRETIVS.	AN.	VERECVND.	FoRI	BVCIN. 7	M.NONIVS.	FAB.	PROBVS.	RoM
TESS. IN 7	C.MESSIVS.	ARN.	APER	HIST	HOR.LEG.	C.PETVRCIVS.	CRv.	PVDENS.	INT A M
B.TRIB.	L.POSTVMIVS.	PoM.	MAXIM.	DERT	SEC. TR	TI.CLAVDIVS.	MN.	LATINVS.	SVRk
LIB.VR.S.PR	C.ANTISTIVS.	MAE.	EARIN.	NEAP	EX.OPT TRAN.IN.ST	T.APONIVS.	AN.	MATER.	FoRoI

Retulit Muratorius ex Ficoronii apographo pag. 356. n. 1., Maffeius inter *Infcr. var.* poft *Muf. Veron.* pag. 267. n. 1., & ex eo Donatius Tom. I. *Suppl. ad Nov. Thef. Murat.* pag. 173. n. 1. Tandem omnium accuratiffime exhibuit Horatius Orlandius in eius Differt. de Ara Vulcani Hortorum Cafalium, nunc Mufei Clementini Vaticani, Art. ult. pag. 91., qui pluribus exponit. Muratorius hunc lapidem refert ad ann. Ch. 224., atque haec adnotat. ,, Anno quoque Chrifti 187. alter Crifpinus Conful in Faftis memoratur, praenomine pariter, & nomine deftitutus. Si heic revera Confulis alicuius eft mentio, incertum arbitror, utrum hic lapis ad annum illum (nempe 224.), an ad iftum fit referendus. ,, Certe in aliis antiquis monumentis latet revera praenomen, & nomen Crifpini, ut eft apud Gruterium pag. 575. n. 3., apud Cuperium in *Epift. Conful.* n. 3. ex Gudianis, & demum apud Fabrettium n. 260. pag. 695. Quare heic habes nomina Militum, qui *Aediculam, & Genium Centuriae dedicarunt*; quod etiam fuperius Sect. I. n. 9. pag. 98. de Genio differentes innuimus. Nomina haec vero ita exprimuntur, ut prima columna habeas officia militaria, altera praenomina, & nomina, tertia tribus, in qua milites cenfebantur, quarta cognomina, & quinta demum regiones, ad quas pertinebant. Hinc in marmore Hortorum Barberiniorum legitur: MILITES...... QVORVM . NOMINA . CVM . TRIBVS . ET . PATRIIS . INSERTA . SVNT. Officia vero funt *Tribunus, Beneficiarius Sub Praefecti Centuriae, Vexillarius, Optio, Tefferarius, Beneficiarius Tribuni, Librarius Vrbanus Sub Praefecti, & Cohortis, Secundus Tribunus, Buccinator, & Hordearius.* Singula vero officia quid opus eft exponere, cum nimis prolixos nos effe operteret, & citra neceffitatem id fieret, tanta cum fint omnibus ad manus promptuaria, unde haec hauriantur? Caietanus Marinius, quem faepe honoris cauffa nominamus, ad hanc infcriptionem provocavit Tom. XVI. Diarii Pifani Art. VI. pag. 167., Mufei Clementini Vaticani infcriptiones nonnullas anecdotas referens, in quod etiam haec noftra migravit, ubi animadvertit, *Vexillarium*, & *Optionem* proximos gradu fuiffe; quod etiam ex duabus aliis infcriptionibus patet apud Fabrettium de *Columm. Traian.*, & *Infcr. domeft.* pag. 261., & 262., & ex altera, quam ibidem n. 8. pag. 166. Marinius profert, & nos etiam adduximus in *Sylloge veter. Infcript.* n. 10. pag. 464. Tom. II. *Anecdotorum*. De Tribubus quid iuvat fingillatim loqui? Ceterum Orlandii incertitudinem de duabus Interamnis tollemus, qui nimirum ex aliorum monumentorum, quorum recenfioni nunc parcimus, obfervatione didicerimus, Interamnam in Umbria in Cruftumina Tribu cenferi confueviffe, in Oufentina vero, aut etiam in Velina Interamnam in Brutiis. De Tribuum varietate, quae in Civitatum recenfione deprehenditur, non eft hic locus difceptandi.

C.PA-

(2)

C. PAPIRIVS . C. F. CLV. CARBO . TR. MIL
XXVI. VIR . Q. PRO . PR
ANTVLLIA . Q. F. VXSOR

Retulit Muratorius pag. 839. n. 9. ex ſchedis Ptolomaeis, tamquam *in Villa Matthaeiorum*, cum tamen proſtet in Aedibus urbanis in Circo Flaminio. Lin. 2. initio LEG. ipſe habet, quod abeſt a marmore. Fuit libera Republica vetus conſuetudo, ut populus quotannis ſex, & viginti viros crearet, ex quibus habebantur triumviri capitales, triumviri monetales, quatuorviri curatores viarum in urbe, decemviri ſtlitibus iudicandis, duumviri curatores viarum extra Urbem, quatuorviri demum ad praefecturas Campaniae ablegati; ut refert Dio Lib. LIV. Verum hic numerus imminutus eſt, Auguſto imperante, qui viarum Curatores extra Urbem, & quatuorviros Campaniae praefecturis aſſignatos ſuſtulit. Quare pro ſex, & viginti, viginti Viri ſolum deinceps exſtiterunt. Vigintiviratus interea fuit primus gradus, iſque neceſſarius ante quaeſturam, tribunatum, alioſque minores magiſtratus, ut conſtat ex Tacito *Annal.* Lib. III. cap. 29. §. 1. Tribunus Militum etiam ſuperius occurrit.

(3)

M. LARCIVS
L. F. POMPTINA
PRVDENS . VETER
T. F. I. ARBITERIO
LARCIAE . FORTVNATAE
VXORIS
H. M. H. N. S

Retulit ex Smetio Gruterius pag. 550. n. 1., qui ponit *Romae in domo Ioh. Coritii ad Forum Traiani*; ſed apud ipſum linearum ordo diverſus, & lin. 3. PVDENS legitur. Habet & Panvinius *de Civit. Roman.* Cap. L. col. 281. Tom. I. *Antiq. Rom.* Graevii, qui ponit *Romae in domo Coritii*, ac PVDENS, & ARBITRIO non exacte legit. Tum huius inſcript. meminit Cuiacius *Obſervat.* Lib. X. cap. 37. *Veteranus* miles heic *titulum fieri iuſſit* (ut 4. lin. ſiglae ſignificant) *arbiterio*, nempe arbitrio *Uxoris*.

(4)

Tab. LXIV.

D ☙ M
AVRELIVS . MVCIANVS . MIS . SICI
VS . CHR. VI. PRET. QVI. VIXIT. ANIS
XXX. VIIII. MES. VII. DIES. VIIII. ORA. VIIII
FECIT. AELIA . LVCIA . COIVGI. VIRGINIO
SVO . BENE . MERENTI . FECIT

Retulit Sponius Sect. VII. pag. 243. ex ſchedis Bagarrianis, qui collocavit *in Hortis Collottii*, Fabrettius Cap. III. n. 113. pag. 136. *ex vita Colotii*, Malvaſia in *Marmor. Felſin.* Sect. VIII. Cap. II. pag. 463., qui ponit *Romae alicubi*, Montfauconius ex Sponio Tom. III. *Antiq. explic.* Par. I. Cap. IX. §. IV. Tab. XXXVI. n. 4. pag. 67., ac tandem Muratorius pag. 791. n. 9., qui ponit *Romae in domo Paulli Tifernatis*, ac lin. 2. legit MIL. SICVL., tum male habet VIRGINIA. AVO. BENEMERENTI., & linearum ordinem, ac orthographiam ipſam confundit. Ceterum non ipſe ſolum, ſed & alii quinetiam parum fideliter ſe geſſerunt, ut conferenti ipſorum autographa cum ectypo, quem damus Tab. LXIV., manifeſte patebit. *Miſſicius*, qualis erat *Aurelius Mucianus*, idem erat, ac miles veteranus, qui poſt confecta ſtipendia militia dimiſſus fuerat; ut proinde *Miſſicius*, ſive *Miſſitius* diceretur, quaſi iuſta viſa fuiſſet eius miſſio, quae *honeſta* dicebatur, & cuius formulae apud Antiquarios non infrequentes, & nos etiam anecdotam adduximus in *Sylloge veter. Inſcr.* n. 4. pag. 460. Tom. I. *Anecdotorum*. Noſter quidem meruerat in Cohorte VI. praetoria, cum tamen, obſervante Fabrettio loc. cit., inſcriptiones veteres de Cohortibus urbanis loquentes a *decima* incipiant, maleque exceptas ipſe cenſeat illas ſolitarias a Gruterio relatas pag. 387. n. 8., & pag. 519. n. 10, quae de VIII. & VIIII. mentionem habent, & notam V. in X. eſſe convertendam, cum veriſimile non ſit, decimam, aliaſque ſubſequentes abundare in tanto de inferioribus numeris ſilentio. Carpit ibidem Lipſium, quod affe-

afferat aevo Dionis plures denis Cohortes praetorias fuiffe, neque id probet; atque id fieri potuiffe addit, ut pauculae illae infcriptiones, quas de XI., & XII. praetoriis legimus, vel fub Vitellio, vel etiam ante Vitellium infcriptae fuerint. Certe fub Marco Aurelio Pii filio ad X. tantum iam redactae erant, ut docet marmor, quod Fabrettius ipfe poft Gruterium pag. 258. n. 8. hoc loco n. 68. pag. 131. adduxit, eo rarius, quo Centurias Statorum Evocatorum memorat, qui non alii forte erant, ut ipfe ait, quam illi, quos Galbam novum adhuc in Hifpania Imp. inftituiffe tradit Svetonius Cap. 10: *Delegit & equeftris ordinis iuvenes, qui manente aureorum annulorum ufu Evocati appellarentur, excubiafque circa cubiculum fuum vice militum agerent*; quorumque Lipfius nullibi memoriam fe deprehendiffe miratur. Interim Fabrettius varias exhibuit infcriptiones de Praetorianis, quae X. Cohortem non excedunt, & inter ipfas hanc noftram, quae VI. prodit, & fequentem, quae V. afferet. Horarum enumerationes perfaepe in tumulis occurrunt, adolefcentium praefertim, atque infantium, quorum nativitatis tempus proximius, certiufque exfiftit, ut animadvertit Fabrettius ipfe Cap. II. pag. 96., & nos poft ipfum ad calcem Epiftolae, iterum, & ter excufae, *de veteri infcriptione Vrfi Togati ludi pilae vitreae inventoris*. Ceterum & in viridi aetate, immo & in fenio, atque etiam in ultima, exactaque aetate id factum reperitur, ut Fabrettius ipfe Cap. III. pag. 181., & feqq. obfervavit. In virili aetate id factum evincit haec noftra infcriptio, ad quam, ut ad alteram, quam fuo loco inferius adducemus provocavit Mabillonius in *Itin. Ital.* pag. 88., dum peculiaria nonnulla Hortorum Matthaeiorum monumenta memorans haec habet: „ Infcriptiones duae praeter annos, & menfes etiam horas vitae notant, cuius rei quaedam alibi exempla occurrunt, ut in Epitaphio Sixti IV. „ Id etiam Chriftianis in ufu fuit, ut adnotat Lupius in *Epitaph. Sever.* M. §. VI. pag. 36., & 37. Maritum *Virginium* tandem Fabrettius Cap. IV. n. 34. pag. 322., & ante eum Reinefius ad infcr. 3. Claff. XIV. illum explicant, qui *puellam, & quidem virginem duxit*. Hunc Graeci παρθένιον ἄνδρα vocant, five κουρίδιον πόσιν. Hinc male Patinius ΚΟΥΡΙΔΙΩ ΑΝΔΡΙ, ut legitur in Graeca infcriptione, vertit *iuveni marito*, & Sponius etiam perperam ad hanc noftram infcriptionem loc. cit. adnotat, uxorem hunc *virginis nomine donare, quod exiftimaret, eum fidem erga fe maritalem numquam violaffe*, quod carpit & Montfauconius loc. cit., Fabrettinae, & Reinefianae fententiae adhaerens. Male etiam fe geffit Sponius Sect. X. n. 3., ubi Graecae infcriptionis poftremum verbum ΚΟΥΡΙΔΙΗ vertendum fuerat *Virginiae*. Apud Plutarchum *in Pomp.* Cornelia appellat etiam παρθένιον ἄνδρα M. Craffum Virum fuum, cui virgo nupferat. Homerus habet κουρίδιον πόσιν. Quem vulgata Ioel. 1. v. 8. dicit *Virum pubertatis fuae*, LXX. Viri appellant τὸν ἄνδρα αὐτῆς τὸν παρθενικόν. Haec infcriptio cum fuperpofito anaglypho, parentes, & tres natos praetextatos exhibente, migravit nunc in Mufeum Clementinum Vaticanum.

(5)

M. SABVRIVS . LIGVS
FAL. ALBINTIMILI
EVOC. AVG. SAL. VI
VIX. ANN. XXXVIII
PROFECIT . EX . COH . V̄
P R

Retulit Sponius Sect. V. pag. 155., tamquam a fe exfcriptam hanc infcriptionem, verum ita mendofe, ut tres priores lineae in errore cubent, ac dein accuratius Fabrettius Cap. III. n. 104. pag. 135. Albintimilium, quod & Albium Intemelium, vel Intimilum, urbs Liguriae maritima, nunc *Vintimiglia* ditionis Genuenfium, quae in Tribu Faleria cenfebatur, ut etiam ex altera Muratoriana infcript. pag. 777. n. 4. dignofcitur. Ipfius meminit Plinius Lib. III. cap. 5., Ptolemaeus, qui corrupte habet Albiniminium, Tacitus, cui Albintimilium audit, tum Merula, Hortelius, & Cellarius. Apud Gruterium pag. 566. n. 3. occurrit militis titulus alter, qui DOMO. ALBENTIBILI fe prodit. Heic habes tribum cognomini poftpofitam, & patriae coniunctam, cuius moris exemplum a noftra infcriptione petitum, aliafque diverfas rationes adducit Zaccherius *Inftit. Antiq. Lapid.* Lib. II. Cap. I. art. III. n. II. pag. 138. Evocatus Augufti ex iis erat, qui excubias agebant, tefte Svetonio *in Galba* Cap. 10., vice militum circa cubiculum Augufti. Appellabantur vero evocati, quod miffi facti a militia rurfus ad eam convocarentur. De Cohorte V. praetoria vide, quae num. fuperiore adnotavimus. Exftat hic titulus in Urna quadrata cum operculo, in cuius fronte ad epigraphis latera adftant duo Gryphes, quorum rationem adduximus ad Fig. II. Tab. LXXXVII. Tom. II. pag. 105.

D.M

(6)

D. M
L. SERTORIO . SECVNDO
OPTIONI . COH. Ī. PR. 7. RENNI
VIX. ANN. XXX. L. SERTORIVS
MARCELLVS . FRATRI . CARISSI
ACCEPIT.LOC.AB.ACONIO.SEVERO
IN. ARCA. ET. VERNE

Retulit Sponius Sect. VII. pag. 260., qui non IN. ARCA, sed PINARIA legit lin. ult., & Fabrettius Cap. III. n. 269. pag. 157. Optio is erat, qui, antecedentibus aegritudine praepeditis, tamquam illorum adoptatus, vel vicarius universa curabat. De Coh. I. praetoria consule, quae diximus n. 4. Locus sepulturae aquirebatur vel venditione, quae apud Fabrettium Cap. I. pag. 48. *mancipatio* dicitur, vel donatione, sive permissione illius, cuius iuris erat sepulcrum.

(7)

D. M
L. SVLPICI . ARTEMI
DORI. MIL. CLASS. PR
MISENENSI. III. FORTVNA
NATIONE . AEGIPTIVS
VIXIT. ANN. XXX. MILI
TAVIT. ANN. VIII
C. VALERIVS . ACHIL
LEVS . EX . EADEM
H. B. M. F

Retulit Gudius integram pag. 184. n. 4., mancam vero initio ad sinistrum latus habet Fabrettius Cap. V. n. 116. pag. 365. Notum est, Augustum Classem Miseni, & alteram Ravennae ad tutelam Superi, & Inferi maris collocavisse. Vid. Sveton. *in Aug.* cap. 49. Nota III. (quae male IIII. legitur apud Gudium) Trierem significari, pluribus probavit Fabrettius in *Syntagm. de Column. Traian.* pag. 113., quod postea placuit & Reinesio ad inscr. 46. Class. VIII. Multas Trieres & *Euphratem*, & *Spem*, & *Isidis*, & *Iuventutis*, & *Triumphi*, & *Herculis*, & *Augusti*, & *Pacis* refert Fabrettius Cap. V. pag. 364., & seq., qua sane monumentorum inter se similium copia Scaligeri, & eum sequuti Lipsii *de Magnit. Rom.* Lib. I. Cap. V. de *tertia Iside*, & de *tertia Fide* interpretatio emendatur. Quare habes *Trierem Fortunam*.

(8)

D. M
M. ANTONIO
ATHENODORO
VIX. ANN. XX
MIL. ANN. III
7. PRECILI
SALVTARIS
CLASS. PRAET. MISEN
M. FLAVIVS . MARTIALIS
BEN. MER. FEC

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 116. pag. 690., & Maffeius inter *Inscr. var.* post *Mus. Veron.* pag. 267. n. 2. De Classe Misenensi diximus num. superiore. Exstat nunc in Vaticani Ambulacro, per quod aditus est ad Museum Clementinum.

(9)

D. M
MERCATORI
NAT. RAETO
ANNORVM . XIIII
SERVO . DE . SE
MERENTI
T. AVR. CENTILIS
DVPLICARIVS . DOMINVS

Retulit Gruterius pag. 528. n. 5., & Fabrettius Cap. V. n. 272. pag. 394. sane emendatius in praenomine *Aurelii*. Duplicarii, & Duplarii dicebantur ii, *quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum*, ut ait Varro *de Ling. Lat.* Lib. IV. cap. 16., quemadmodum *armaturae duplares*, *quae binas consequuntur annonas*, appellantur apud Vegetium Lib. II. cap. 7. Vid. Reinesium ad inscript. 25. Class. I. Titulus hic habetur nunc in Ambulacro, per quod pergitur ad Museum Clementinum Vaticanum.

(10)

D. M
M. VLPIO
VRBICO
VLPIVS
HELIVS
FILIO
DVLCISSIMO
V. A. V. LIB. M. VLPI
PATERNI . EX . N
EQVIT. SING. AVG

Retu-

Retulit Gudius pag. 248. n. 4., qui ait exſtare in Cippo. Siglae lin. 9. legendae ſunt EX. *Numero*, ſcilicet ex agmine. Apud Fabrettium Cap.X. n. 546. pag. 747. habetur NVMERVS . MILITVM . CALIGATORVM, ſive gregariorum, manipularium, atque adeo infimae ſortis, & claſſis; Tum EXAR*chus*. NVM*eri*. DAL*matarum* occurrit etiam apud Muratorium pag. 791. n. 8. Heic tamen habetur *Numerus Equitum ſingularium Auguſti*, qui inſtituti ab Octaviano ita appellati exiſtimantur, quod inter eos nullus gradus eſſet, praeterquam illé, quem eorum praefecti obtinebant, & erant ſinguli, vel quod eſſent ſingulàres, & optimi, vel quod ſingulariter ipſis eſſet demandatum munus cuſtodiendi Imperatorem, vel quod demum lecti eſſent ab Imp. ſingulari cura propter virtutis, ac roboris opinionem.

SECTIO VIII.
IURA SEPULCRALIA.

(1)

TAB. LVI.
FIG. I.

DIIS . MANIB
SACRVM
L . SESTI . EVTROPI
SIBI . ET . SVIS
CVIVS . MONVMENT . EST

Retulit ex Smetio Gruterius pag. 869. n. 13., tamquam exſiſtentem *Romae in Area S. Mariae Arae Caeli, in ara marmorea*. Ipſe lin. 3. legit ESTI pro SESTI, atque ita deſcribit anaglypha, quae intuere Tab. LVI. Fig. I. *In angulis ſuperioribus arietum capita, a quibus ſerta per IV. latera expanſa, & in iis in fronte aquila ſubvolans. In lateribus aviculae ſolitae, in dextro cicadam, in ſiniſtro papilionem diſcerpentes. A tergo larva ſatirica eſt, anguibus colligata. Subtus in fronte Capra Amalthea Iovem puerum lactat. In angulis inferioribus aviculae duae extremas partes faſciarum dependentium mordent*. Tum rurſus ex Boiſſardio, & Mazochio retulit idem Gruterius pag. 889. n. 3. eodem loco collocans. Habet & Montfauconius *Antiq. explic.* Tom. V. Par. I. Lib. II. Cap. XIV. n. IV. Tab. LXII. pag. 84. Tandem occurrit apud Muratorium pag. 1745. n. 14., qui ponit *Romae prope portam Arae Caeli ex ſchedis Fratris Iucundi, nunc in Aedibus Matth. ex ſchedis Ptolomaeis, & in ſchedis Iulii Antonii Averoldi Nob. Brixiani ponitur Romae in Sancti Gregorii a dextris ſub aqua luſtrali, atque ibi ſpectari ſubtus dicitur aquila latis alis, ſub qua eſt capra lactans infantem*. In exemplari Muratoriano lin. 1. non omnino accurate expreſſa eſt. Cippus hic ornatiſſimus proſtat nunc in Muſeo Clementino Vaticano.

(2)

QVIETI . AETERNAE
AVRELIVS.HERMES.ET.CLAVDIA.SECVNDA
HOC . MONVMENTVM . VYRGINEM . SE
VIVI . COMPARAVERVNT . SIBI . ET
FILIIS . SVIS . ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM

Retulit Fabrettius Cap. I. num. 308. pag. 53. *Virginem monumentum* heic habes, & num. ſeq. *locum virginem*, ideſt vacuum, & nullo accepto cadavere funeſtum. Sic *Ollae virgines* habentur in alia inſcriptione ex ſchedis Barberinis apud Fabrettium Cap. I. n. 307. pag. 53., ideſt vacuae, certoque loco iampridem diſpoſitae, quae incerti cadaveris oſſa praeſtolabantur. Metaphora haec non inelegans alibi etiam occurrit, & praeſertim apud Lupium *Epitaph. Severae Mar.* §. XVI. pag. 159.

M.AE-

(3)

M. AVRELIVS . DOMITIANVS . SE . VIVVS
EMIT . ET . COMPARAVIT . LOCVM . VIRGINEM
A . SOLO . FECIT . SIBI . ET . LIBERTIS . LIBE
RTABVSQVE . POSTERISQVE . EORVM
ITEM . BAEBIAE . PARTHENOPE . CON
VGI . SANCTISSIMAE . IN . FRONTE
PEDES . P. M. XVI. IN . LATVS . PEDES . XVI
ITEM . IN . LATVS . IN . VIA . ARDEATINA
RESPICIENTE . LONGV . PEDES
P. M. XXIIII. ET . LATV . PEDES . X
H. M. EX. H. N. S
M. AVRELIVS . STASIMVS . LIB. COEMPTV . A PATRONO
SVO . CONSVMMAVIT . ET . SVIS . QVOD . SI . QVIS . POST
OBITVM . MEVM . VENDERE . AVT . DONARE . VOLVERIT . INFE . ARK . PONT. SS. L. N

Retulit Gruterius pag. 439. n. 12., qui ponit Romae in Tabula Hortorum Matthaeiorum recens effoſſa extra urbem, atque in nova Gruterii editione afferuntur variantes lectiones ex Fabrettio, qui habet Cap. I. n. 309. pag. 53. *Locum virginem* expoſuimus num. ſuperiore. Cetera notiſſima antiquitatum ſtudioſis, & apud Gutherium *de iure Manium* luculenter enucleata.

(4)

VALERIVS . DAMAS . ET . OS
TILIA . HERMIONE . FECE
RVNT . SIBI . ET . SVIS . LIBER
TIS . LIBERTABVSQVE . POS
TERISQVE . EORVM . BETO
HVNC . MONVMEMTVM . NE
QVE . VENDERE . NEQVE . DO
NARE

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 355. pag. 61., qui adnotat, *Hermione* nonniſi cognomen apud Latinos fuiſſe, ſive ſervile nomen in cognomen cum libertate verſum. Duas alias epigraphes inferius etiam adducemus cum hoc ipſo nomine.

(5)

C. IVLIO . TYRANNO	C. IVLI Ɔ. L
TI. IVLIVS . AVG. L	FELICIONIS
CYTISORVS . OLL	DED. VIX. AN. V

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 252. pag. 156. Heic habes duplicem inſcriptionem: ac prior quidem Ollas in ſepulcreto, ſeu columbario ab eius domino conceſſas oſtendit; quod vel venditione, vel donatione, vel permiſſione conſequi fas erat, ut ſuperius Sect. VII. n. 6. pag. 126. monuimus.

(6)

D. M. LVSCIAE . EVTYCHIAE
CONIVGI . BENEMERENTI
FECIT . M. CORNELIVS . GER
MANVS . ITEM . LOCVM . DO
NAVIT. CV. ITV. AMBITV. LVSCIA. EVHODIA

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 272. pag. 156. Heic habes locum ſepulcri donatione aquiſitum.

(7)

HOC . APPARATORIVM
PERTINET . AD . MONIMENTVM
Q. AQVILI . DIONYSI
ET . NONIAE . M. F
FAVSTINAE
IN . FR. PED. X. IN. AGRO. P. XVI

Retulit Reineſius Claſſ. XVII. n. 14. pag. 818.; Sponius Sect. IX. pag. 291. , Fabrettius Cap. III. n. 609. pag. 232., & Heiſellius in Indice Gudiano Cap. XXIII. pag. LXXXVII. ex ipſius Gudii ſchedis; ſed accuratius apud Fabrettium. Hic adoritur Reineſium, qui cenſuit APPARATORIVM idem eſſe cum *Vſtrino*, *quod adparatus mortuo-*

rum

rum funus appelletur a Servio. Verum ipse opponit epigraphem, quam ibid. n. 610. subdit e schedis Barberinis, quaeque est apud Beneventum ad flumen Calorem, ut ostendat *Apparatorium* fuisse aedificium aliquod sepulcro annexum, ac porticui iúnctum, ad lustrationem sepulcri, & coenas sociales paratum. Hinc in Glossis Graecis *Apparitorum* (corrige *Apparatorium* cum Carolo Labbaeio pag. 263.) ἐξαρτιστήριον vertitur a verbo ἐξαρτύω *apparo, instruo*. *Ustrinum* vero locus erat muro circumdatus, in quo corpora defunctorum cremabantur. Ustrini via Appia detecti schema exhibet Sponius Sect. IX. pag. 290., sed parum accurate, ut proinde repetitum videas apud Fabrettium pag. 231., ubi insurgit in Sponium tamquam ineruditum, & plagiarium. A Graecis Ustrinum καῦστρα dicebatur a verbo καίω *uro*, de quo vide adnotationes ineditas Fulvii Ursinii ad *Topograph. Urbis Romae* Barthol. Marliani Lib. IV. Cap. XX. col. 156. Tom. III. *Antiq. Rom.* Graevii, Reinesii; & Fabrettii interpretationes in Fabri *Thesaurum eruditionis scholasticae* relatae sunt. Lapis hic noster nunc locum tenet in Vaticana Clementina Inscriptionum collectione.

(8)

C. IVLIVS . EPAPHRODITVS
FECIT . SIBI . ET . FLAVIAE
ANTHVSAE . VXORI . ET
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . EORVM
ITVM . ADITVM . AMBITVM . ET . CETE
RIS . OMNIBVS . EX . LEGE . PLENA
VT . PRAESTENTVR

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 434. pag. 321., ubi adnotat, introitum, sive iter ad sepulcrum ITVS vocabulo ut plurimum in lapidibus dici. Vid. Schultingium in *Caii Institut.* pag. 78., & Ioh. Wunderlichium *de usu Inscript. Roman. veter.*, *maxime sepulcral. in iure* Observ. III. pag. 113., & seqq.

SECTIO IX.

AFFECTUS PARENTUM ET LIBERORUM.

(1)

DIS . MANIBVS
LABERIAE . L . F
PRISCAE
VIX. ANN. VI. M. V. D. VII
PARENTES . FECERVNT
FILIAE . DVLCISSIME

Retulit Gudius pag. 239. n. 6., sed parum diligenter quoad annorum, & mensium numeros, ac Muratorius pag. 2059. n. 6., qui ponit *Romae in S. Stephani ex schedis Bibliothecae Caesareae*, sed & ipse lin. 1., 4., & ult. addit litteras in autographo carentes. Exstat in Urna oblonga cum operculo, ac in quatuor angulis superiori parte habentur capita arietum, retro ramus cum foliis hederae, ex una laterali parte urceolus, ex altera patera, infra epigraphem aves duae encarpum rostris petentes, hinc aves aliae inferne, & superne.

(2)

D . M
T . MANILIO . PVSCIANO
Q̄ . V̄ . Ā . V̄Ī . M̄ . V̄
T . MANILIVS . FELIX . ET
VLPIA . ANTIOCHE . PAREN
TES . FILIO . DVLCISSIMO
FECERVNT . ET . SIBI . ET . SVIS
ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
ET . POSTERIS . EORVM

Retulit Reinesius Class. XII. n. 56. pag. 668., qui ex Volcammero, qui descripsit, ponit *Romae in Ill. Matthaeii Card. palatio*.

(3)

D . M
AELI . FORTVNATI
QVI . VIXIT . ANNIS
III . MENSIB. XI
DIEB. V
PARENTES
FECERVNT

Retulit Gudius pag. 226. n. 5.

D. TI.

(4)

D. TI. CL. M
SVCCESSO
FILIO . PIEN
TISSIMO . QVI
ANN. VIX. XIIX
PARENTES . FEC

Retulit Gudius pag. 222. n. 8. Prima lin. lege: Diis . *Manibus* . TI*berio* . CL*audio*. Solemnis illius formulae D. M. omiſſio a marmorario laterali additione utriuſque litterae ad 1. lineam reparata eſt, quae tamen confuſionem aliquam parit.

(5)

DIODORVS . ET . SPES
PARENTES . FORTVNATO
FIL . PIISSIMO . FECER
VIX. ANN. VIIII. MEN. VIII
D. XXIIII

Retulit Gudius pag. 234. n. 3.

(6)

D. M
Q. GEMINI . SVRIACI
FILI . PIISSIMI
ZOSIMVS . ET . APRILIS
PARENTES

Retulit Gruterius ex Mazochio pag. 685. n. 9., qui ponit *in domo Iulii Matthaei*.

(7)

D. M
AGRIPPE . FILIO . DVL
CISSIMO . QVI . VIXIT
ANN . VIII . MENSIBVS
III. DIEBVS . XVIIII . FELI
CIO . ET . ALYPIAS . PAREN
TES . B. M. F

Retulit Gudius pag. 227. n. 6.

(8)

In fronte:

D. M
C. POMPONIO . EVANDRO
ET . CALLISTO . ET
DIADVMENO
ET . ELPIDEPHORO
Q. POMPONIVS
EVDAEMON . ET
POMPONIA . HELPIS
FILIS . DVLCISSIMIS
ET . SIBI . FECERVNT

Ad dexter. latus Protome, & aquila animam in caelum tollens cum epigraphe:

Q. POMPONIVS . EVDAEMON

Ad ſiniſ. latus alia Protome, & aquila ſimiliter cum epigraphe:

POMPONIA . HELPIS

Retulit ex Mazochio, & Verderii ſchedis Gruterius pag. 702. n. 1., qui ponit *Romae in S. Salvatoris de Capellis*. Verum hic Cippus ex Hortis Matthaeiis migravit nunc in Muſeum Clementinum Vaticanum.

(9)

D. M
T. FLAVI . PRIMI . VIXIT . ANNIS
II. MENSIBVS . X. DIEBVS . XX. HORIS
VI. FECIT . T. FLAVIVS . PRIMVS . PATER
ET . MATER . FECIT . ET . SVIS . POSTE
RISQVE . EORVM

Retulit Gudius pag. 236 n. 6. De horarum enumeratione diximus ſuperius Sect. VII. n. 4. pag. 125.

(10)

D. M
ATILIA . PRIMILLA
ET . ATILIVS . BROMIVS
FECERVNT . BROMIO
FILIO . DVLCISSIMO
Q. VIX. ANN. I. M. XI. D. XII
ET . SIBI . ET . SVIS . POSTER
Q. SVIS

Retulit Gudius pag. 229. n. 3.

D. M

(11)

D. M
T. STATILIVS . TAVRIANVS
VIX. AN. XIII. M. III. D. XVI
FECIT. STATILIA . THALIA
ET . OCTAVIVS . RVFINVS
PAT

Retulit Gudius pag. 245. n. 2.

(12)

Tab. LXV.

FIG. II.

D . M P. SCANTIO FVLVIANO P. SCANTIVS IVSTVS . PAT FIL . PIISSIM	D . M FABIAE FILIVS SVIS

Retulit Gudius pag. 244. n. 2., & Muratorius pag. 1212. n. 3. ex ſchedis Ptolomaeis. Vid. ad Fig. II. Tab. LXV. titulum utrumque inſcriptum Urnae quadratae cum operculo, in quo duae aviculae; tum in anteriori parte Urnae ad latus utrumque duae figurae ſtantes pedibus implicatis.

(13)

CLAVDIAE.AVG.L QVEITAE HIC . SITA . EST	TI . CLAV . QVIR PLOLO . FILIO SITVS . EST

Retulit Gruterius pag. 610. n. 11., & Fabrettius Cap. X. n. 557. pag. 748., qui licet carpat Gruterium, quod inſcriptionem hanc mutilam referat, peccat ipſe tamen in eius parte altera, ubi CLAVDIO' legit, cum CLAV. compendiarie habeatur. Exſtat in Urna cum operculo. Ad angulos ſuperiores in fronte Urna habet duas aves alis expanſis, baſibus inſidentes. Inter utramque epigraphem ſtat avis altera, e cuius pedibus pendent duo encarpi, quibus octo aviculae includuntur, duae ſcilicet ad ſingulos ſuperne, ac duae inferne.

(14)

Tab. LXIII.

FIG. III.

DIIS . MANIBVS
SPERATO
VIXIT . ANNIS . XV
(*sic*)
MENSISVS . VIIII
DIEBVS . XIIII. FECIT
A . SERGIVS
CHRYSANTHVS
FILIO . PIISSIMO
ET . SIBI . ET . SVIS
POSTERISQ. EORVM

Retulit Gudius pag. 245. n. 1., & Muratorius pag. 1217. n. 7. ex ſchedis Ptolomaeis, ſed uterque parum fideliter. Urnam, in qua epigraphes recipitur, adi Fig. III. Tab. LXIII. Paraſtatae latera ornant, & ex capitulorum Ionici ordinis volutis pendet encarpus, qui ultra inferioris ianuae dimidium procedit. Siquidem in nonnullis ſepulcris, urniſque habentur aedificia, quorum quaedam ianuis apertis apparent, ut hac ratione animae ad caelum volantis aeternitas ſignificaretur; alia vero ianuis clauſis, quibus animae cum corpore interitus deſignaretur; quod animadvertit Petrus la Sena ICtus Neapolitanus in ſuo *Cleombroto, ſeu de iis, qui in aquis pereunt, philologica Diſſertat.* Cap. VIII. pag. 154. edit. Roman. Iacobi Facciotti 1637. Celebres ſunt apud Poetas, & praeſertim apud Homerum *Iliad.* 9. v. 312. ἀΐδαο πύλαι, *ianuae Ditis*, quae μαρμαρέαι τε πύλαι, *ſplen-*

ſplendidae portae ab Heſiodo *Theog.* v. 811. appellantur. Hinc in poſtibus portarum inferorum ſcribi conſueviſſe defunctorum nomina, putarunt veteres. Statius *Thebaid.* VIII. de Amphiarao ita habet:

Necdum illum aut trunca luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proſerpina poſte notarat.

Videndus Caſpar Sagittarius *de Ianuis veterum* diſſerens. *Helviae Arbuſculae* Urnam porta ornatam adduxit Philippus Antoninius in Antiquitatibus Sarſinae Cap. V. pag. 35., & explanavit Cap. VI. pag. 53. edit. ſecundae Faventinae 1769. Aliae Urnae portis inſculptae habentur apud Montfauconium *Antiq. explic.* Tom. V. Par. I. Cap. V. Tab. CXX. pag. 146., Tab. CXXI., & CXXII. pag. ead., tum alibi etiam Tom. I. *Supplem.* Chriſt. Gottl. Schvvarzius in Diſſert. *de Diis Clavigeris* pag. 355. Tom. I. Part. I. *Theſauri Diſſertation.*, *editore M. Ioh. Chriſtophoro Martinio, Norimbergae* 1763. ex Montfauconianis typis ad pag. 144. cit. Tom. V. Par. I. exſcribendum curavit Urnae exemplum, ubi eſt inſcriptio: ΘΕΟΙϹ. ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙϹ. ΓΛΥΚΩΝ. ΚΑΙ. ΗΜΕΡΑ, *Diis Inferis Glycon, & Hemera*, & ſub inſcriptione magna porta conſpicitur, cuius portae ianuam alteram aperit Mercurius ingreſſus, ut animabus Glyconis, & Hemerae aditus ad infera loca pateat. Forte ethnici a veteris, & novi Teſtamenti libris has notiones acceperunt. Ezechias ſiquidem in Cantico: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*; tum notiſſima eſt Chriſti allocutio ad Petrum Apoſtolorum Principem: *Et portae inferi non praevalebunt &c.* Duae aliae inſuper Urnae hiſce ianuis inſtructae a nobis inferius adducendae erunt. Sphinges utrimque foribus heic adſtant, quae forte Gorgonibus, Harpyiſque copulabantur, ſepulcrorum cuſtodibus, ne Defunctorum corpora eſſent ἑλώρια κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσι, *praedae canibus, & volatilibus omnibus*. A Virgilio ſiquidem *Aeneid.* VI. v. 289. inter monſtra domus Ditis recenſentur:

Gorgones, Harpyaeque, & forma tricorporis umbrae.

De Gorgonibus, & Sphingibus, Urnis inſculptis inferius ſermo redibit. De Sphingibus vero ſuperius etiam Tom. II. Claſſ. X. Tab. LXVIII. Fig. II. pag. 90., & ſeq. abunde egimus. Gryphes inſuper ibid. Claſſ. XII. Tab. LXXXVII. Fig. II. pag. 105. Urnis ad idem arcendorum voracium animalium a ſepulcris munus obeundum appictos oſtendimus.

(15)

IVLIVS. APOLLO. GEMELLAE. FIL. ET. SEXTIAE. APHPRODITE. CON. B. M. FEC

Retulit Gudius pag. 268. n. 13., & Muratorius pag. 1177. n. 2. ex ſchedis Ptolomaeis. Nec ſane in ara, ubi legitur titulus *Ti. Claudii Heſychi*, quem inferius Sect. X. adducemus, haec inſcriptio legitur, ut eidem copulanda ſit, ut fecit Gudius, quin potius ſeorſim in Tabula marmorea unica linea, non duplici, ut exaravit Muratorius, legenda veniat.

(16)

D. M
BLASTIONE. VIX. AN. VI
MENSIB. VIIII. DIEB. XIIII. HORA. I
NATVS. V. KAL. SEPTEMBRES
HORA. DIEI. VI. DIE. LVNAE
DEFVNCTVS. III. IDVS. IVNIAS
HOR. PRIM. DIEI. DIE. SATVRN
ITEM. MATRI. EIVS. QVAE. VIXIT
ANNIS. XX. DIEB. XXX. HORIS. X
RELIQVIT. EVM. MENS. XII. D. XX
BLASTVS. PATER. FILIO. PIISSIMO
FECIT

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 421. pag. 186., ubi haec habet: „ Lubet modo inſcriptionem „ Hortorum Matthaeiorum examini ſubiicere ...., „ in qua ſemel, iterum, & tertio horae, ſed non „ recte ſemper enumerantur: Nec enim probe ſe „ habere videtur, quod a die XXVIII. Auguſti „ ad diem XIII. Iunii novem menſes, & dies „ XIV. intercedant, cum vere, poſtquam horas „ enumerare coeperat, addendae fuiſſent horae „ XIX., quot ſcilicet ab hora VI. diei, qua na„ tus dicitur, ad primam horam matutinam, qua „ puer iſte denatus, excurrerant. Rurſus dies „ natalis, ſive duplex intercedat biſſextilis annus, „ in diem Mercurii, ſive unicus, in diem Mar„ tis neceſſario incidit. Nec demum ab hora ſex„ ta diei Lunae ad horam primam die Saturni „ differentia unius tantum horae agnoſci valet. „ Habet etiam hanc inſcriptionem Franc. Heiſſellius Cap. XXIII. Indicis Gudiani pag. 99., ubi ex Mſ. Gudii pag. 327. n. 1. haec adnotantur. „ Su„ per epig. puerilis imago in ſiniſtra manu habens „ thuribulum, incenſo thure, & laeva muliebris „ imago. Subſcriptio huiuſmodi eſt Romae inven„ ta ad Portam Latinam annis ab hinc circiter „ XII., aut XIII., Gudianum exemplar aliquantiſper variat in penult., & ult. linea.

CN.

(17)

CN. LVCRETIO . HERCLIANO
Q. VIXIT . AN. III. M. X
D. XII
CN. LVCRETIVS . ONESIMVS
FILIO . DVLCISSIMO
FECIT

Retulit Gruterius pag. 694. n. 9., qui ponit *Romae in domo Iulii Matthaei*.

(18)

D. M
TI. CLAVDIO . VITALIONI . FILIO
KARISSIMO . QVI . VIXIT . ANN. XI
M. VII. D. XIII. FECIT
P. AELIVS . AVG. LIB. IANVARIVS . PATER
ET. CLAVDIAE . SVCCESSAE . CONIVGI
BENEMERENTI . ET . INCOMPARABILI . FEMINAE
CVM . QVA . VIXIT . ANN . XXI . CVIVS . NVLLA . CVPIDITATE
EST . EXPERT . ET . CLAVDIO . AVG. LIB. CENSORINO . FILIO
KARISSIMO . ET . SIBI . ET . SVIS . LIBERTABVSQ. POSTERISQ
EORVM

Retulit ex Caſtalione Gruterius pag. 604. n. 5., qui ponit *apud Matthaeos*, & Malvaſia in *Marmor. Felſin.* Sect. X. Cap. V. pag. 615., cuius variantes lectiones, quae nobis veroſimiliores viſae ſunt, recepimus. Inter ſiglas D. M cernitur apud Gudium dolabrae ſchema, quod obvium in veterum monumentis, & de quo conſulendus Cl. Alexius Symmachus Mazochius *de Aſcia*.

(19)

Tab. L X V I.

FIG. II.

IN. FR. P. XIX
IN. AG. P. XIIS

M. LIVIVS . M. F
CASTVS
CLODIANVS
FILIAE . P

Retulit Muratorius e ſchedis Ptolomaeis pag. 1701. n. 11., ſed parum accurate, qui utriuſque epigraphis locum alternat. Sphinges arcam ſepulcralem ſuſtinent, ut cernere eſt Fig. II. Tab. LXVI. De Sphingibus diximus ſuperius n. 14.

(20)

PACVVIAE
SEVERAE
FILIAE . CARISS
ET . PACVVIAE
EVTYCHIAE
CONIVGI
EVPHEMVS . AVG. LIB

Retulit ex Knibbio Gruterius pag. 612. n. 2., qui ponit apud Vincentium Stampam; ſed ex unica 4. linea duas fecit.

(21)

TI. IVLIO . TI. FAB
FREQVENTI
VIX . ANN. VI
MATER . FIL

Retulit Gudius pag. 238. n. 1., & Muratorius pag. 1177. n. 4., cui miſit Pater Gabriel Scarmaglius Caſſinenſis, ſed omiſit 3. lineam. Exſtat in Urna quadrata cum operculo, corona in fronte ornato. Capita arietina adſtant ſuperne ad utrumque latus Urnae, inferne capita humana turrita. Sub epigraphe pendet encarpus, quem carpunt ſubter duae aviculae, interius vero duae aliae roſtris inter ſe colludunt.

TAB.

(22)

Tab. LXVIII.

FIG. VI.

DIS . MANIB
T. FLAVI . SP . F
EVTYCHE
VIX. ANN. V. M. VI
D. XXIX. FEC
FLAVIA . PELORIS . MATER

Retulit Malvaſia *Marmor. Felſin.* Sect. VII. Cap. VII. pag. 244. , ſed turbato menſium , & dierum numero , & Fabrettius Cap. I. n. 263. pag. 46. , apud quem menſium numerus non reſpondet marmoris fidei , nec ultimae lineae vox ultima recte ſcripta eſt . Hac inſcriptione id demonſtrari putat Fabrettius , ut quotquot ſervilia nomina in cognomen deflexa reperiuntur , SP. F. denominatione praetermiſſa , vel de iis , qui extra legitimum connubium naſcebantur , vel de iis , qui in ſervitute concipiebantur , eſſe intelligenda . Naturales enim vocantur ii , qui in ſervitute parentum concepti erant ; *quia creditur* (ut ait Scaevola in fine *l. Lucius* 68. *ff. de leg. , & fideicom. ſecund.*) *appellatione filiorum & naturales liberos , id eſt in ſervitute ſuſceptos , contineri* . Ceterum nec Heineccius ad *L. Iul. Pap.* Lib. II. Cap. 4. §. 4. , qui reprehendit Scaligerum contra ſentientem , nec Clariſſ. Mazochius in *Kal. Neapol.* Tom. I. pag. 208. , qui eidem Fabrettio adhaeret , ſibi ſatis conſtant . Cum enim Spurii vox non tantum *nothos* , & *Sine Patre* filios deſignet , ſed etiam ad cognominum nomenclationes traducta ſit , facile utrumque deſignare poteſt , nec unum cum excluſione alterius perpetuo adſtruit ; quod ex Plutarchi loco in *Quaeſt. Roman.* 103. , ſive 101. , & ex teſtimonio Iſidori *Etymol.* Lib. IV. , & Lipſii *de nomin. Roman.* Cap. I. evincitur , qui etiam a Sabina voce *Spurium* illud rectiſſime derivant . Vid. inſignem pietate , & eruditione Praeſulem Ioh. de Vita *Antiq. Benevent.* Tom. I. Claſs. IX. pag. LIX. n. 212. adn. *(a)* . Urnae deſcriptionem non damus , quum inſpecta Tab. LXVIII. Fig. VI. , in qua ſchema exhibetur , inutilis fiat deſcriptio .

(23)

Tab. LXV.

FIG. III.

D. M
M. CLODIO . CASTO
RI . MATER . FECIT
FILIO . PIENTISSIM

Retulit Gudius pag. 270. n. 2. , & Muratorius pag. 1153. n. 3. ex ſchedis Ptolomaeis , quibus potiorem epigraphes partem acceptam referimus , quandoquidem autographum pene temporis iniuria conſumpſerat . Ceterum litterarum veſtigia ſatis perſpicua ſunt , nec ornamenta anaglyptica , quae exhibet Tab. LXV. Fig. III. , ullo detrimento affecta ſunt .

(24)

Tab. LXVII.

FIG. II.

L. MINDIO . DECEMBR
VIXIT . ANNIS . VIII
D. XXIX. MINDIA
SPES . MATER . ET . L
MINDIVS . ONOMASTVS
FRATRI . OPTIMO . FECER

Retulit e Mazochio Gruterius pag. 696. n. 6. , qui ponit *in domo Iulii Matthaei* , ſed non exacte omnino . Deſunt enim in marmore , cuius ſchema adduximus Tab. LXVII. Fig. II. , D. M. , nec cognomen defuncti integre exprimitur , nec ordo linearum ſervatus eſt .

D ☿ M

(25)

D ♡ M
OTACILIAE . EVNOEAE
L. OTACILIVS . FORTVNATVS
ET . OTACILIA . MA. FILIAE . CARIS
BENEM. FECIT . VIXIT
ANNVM . MENS. VIIII. DIES. XXI

Retulit ex Apiano Gruterius pag. 1037. n. 8., ſed incorrecte, ac emendatius Fabrettius Cap. VIII. n. 14. pag. 550., qui animadvertit, formulam illam *annum* abſolute pro *anno uno* incorruptae latinitatis genium redolere, quandoquidem apud Ciceronem *Orat. pro P. Quinctio* plura ſe ſe offerunt, ſcilicet *annum fere una ſunt*; *annum, & ſex menſes nihil petit*; *annum, & eo diutius fuit in Gallia tecum Quinctius*; *anno, & ſex menſibus verbum nullum facis*; *tecum anno plus vixit.*

(26)

DIIS . MANIBVS
OLPES
PANNYCHIS . FILIAE . PIISSIMAE . FEC

Retulit Gudius pag. 241. n. 8.

(27)

D . M
RVFO
RVFILIA . MATER
FILIO . CARISSIMO
FECIT

Retulit Gudius pag. 243. n. 3.

(28)

D . M
SABINAE . FILIAE.
Q. V. ANN. XI
MENS. I. D. VI
CANINIA . DO
NATA . V. M. FEC

Retulit Gudius pag. 243. n. 9.

(29)

D . M
PHOEBVS
MERCVRIO
F. BENEME
FEC. V. A
XII

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 356. pag. 714.

(30)

TAB. LXVIII.
FIG. I.

D . M
LAPPIAE . PRIMAE . F
VIX. A. XXXXIII

Retulit Gudius pag. 320. n. 19., atque hanc inſcriptionem alteri iungit, quae in Urna, quam damus Tab. LXVIII. Fig. I., non adeſt; tum Muratorius pag. 1635. n. 7. ex ſchedis Ptolomaeis, ſed incorrecte. Hactenus vidimus parentes filiis iuſta perſolventes, quod licet *contra votum, & turbato ordine naturae, fatiſque male iudicantibus* ſe facere, quod ſibi ipſis faciendum exſpectaſſent, profiterentur in titulis ſepulcralibus, ſeque *miſeros*, quod filios ſuperaſſent, tum *crudeles*, *ingratos*, ac *ſceleratos* quinetiam inſcriberent, ut latius diximus ad Tit. XXVIII. *Legis Romanae*, ſeu *Reſponſi Papiani* a nobis integrius vulgati poſt V. *Novellas anecdotas Cod. Theodoſ.* pag. 229. adnot. (1); tamen ſaepius uſuvenire compertum eſt, filios antevertere parentum mortem. Patet id quinetiam ex noſtris inſcriptionibus, quarum quae exhibent parentes filiis funus facientes, multo plures ſunt iis, quibus filii parentibus idem officium perſolvunt. Siquidem ex Chriſtiani Ugenii calculo, quem poſtea exornarunt, & ad periculorum doctrinam retulerunt Newtonius, Bernullius uterque, Monmortius, & omnium poſtremus Abramus Moivreius Anglus, cuius praeclarum opus Italiae nuper donavit vir ſcientiſſimus Gregorius Fontana Ticinenſis Academiae Profeſſor, luculen-

culenter evincitur, infanti vix in auras educto tot impendere probabiles mortis casus, ut prioribus sex ipsius aetatis annis tringinta sex casus contra eum stent, vinginti quatuor intra sextum annum, & decimum sextum, & sic deinceps. Constat enim, ex centum pueris eodem tempore editis nonnisi sexaginta quatuor post sex annos, quadraginta post sexdecim, & sic deinceps superesse. Sed iam prodeat natorum pietas.

(31)

TAB. LXI.

FIG. V.

T. PVBLILIVS . SEVERIANVS
FECIT
PVBLILIO . SEVERIANO
PATRI . B. M.

Retulit Gudius pag. 269. n. 9., & Muratorius pag. 1273. n. 11. e schedis Ptolomaeis, cui etiam miserat Cl. Petrus Paullus Ginannius Abbas Congr. Cassinensis. Urnae anguli ornantur larvis scenicis, ut videre est Tab. LXI. Fig. V.

(32)

TI . IVLIO . PRIMIONI
PATRI . EIVS . ET
. . . .
. . . .

Retulit Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 1262. n. 4., sed non exacte. In clypeo cernitur facies pueri attrita. Exstat nunc in Ambulacro Palatii Vaticani, quo pergitur ad Museum Clementinum.

(33)

DIS . MANIBVS
TI . CLAVDI . AVG. LIB
EPICTETI . ACTEANI
VIXIT . ANNIS . LXXXV
CL. ZOSIME . PAT
BENEMERENTI . FECIT

Retulit Fabrettius bis, Cap. III. n. 33. pag. 125., & Cap. IV. n. 422. pag. 319. qui opinatur, Epictetum desumpsisse ACTEANI nomen a nomine, seu cognomine prioris domini, forte Actes Neronis concubinae, de qua fuse a nobis dictum est Sect. VI. n. 16. pag. 121. Exstat in Urna disrupta sine operculo.

(34)

TAB. LXIX.

FIG. II.

L. CORNELIO . IASON
ET . LAELIAE . CHARITE
PARENTIB . SVIS
B. M. FECIT
L. CORNELIVS . CLEMENS

Retulit Gudius pag. 254. n. 2., & Muratorius pag. 1253. n. 10. ex schedis Ptolomaeis, sed non emendate. Urnae typum habes Tab. LXIX. Fig. II.

(35)

DIIS . MANIBVS
P. AMBIVIO . P. L
HERMETI . V. A. LXVII
ET
AMBIVIAE . P. L. MARGARIDI
V. A. LV
PARENTIBVS . OPTIMIS . ET
BENE. DE . SE . MERITIS . FECIT
P. AMBIVIVS . P. F
HERMES
PIENTISSIMIS

Retulit Sponius Sect. I. art. IV. pag. 11., ut ostendat, *Hermem*, & *Hermam* cognomina esse apud antiquos, & Fabrettius Cap. X. n. 399. pag. 718. Uterque penultimae lineae addit siglam F, quae abest a Cippo.

TAB.

(36)

Tab. LVII.

FIG. I.

D . M
ANNIAE . NICE . ET
CLODI . EVHEMERI . LIB
ONESIMO
EVHEMERIANVS
ET . NICE . MATRI . PIENTISSI
MAE

Retulit Muratorius pag. 1239. n. 12. e schedis Ptolomaeis. Ornamenta anaglyptica exhibet Tab. LVII. Fig. I. Haec Ara exstat nunc in Museo Clementino Vaticano.

(37)

	D . M TI. CLAVDIO AMEMPTO CL. IASON. FIL PATRI . PIISSIMO B. M. F. V. A. LXX ET . PHEBE . CONI

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 299. pag. 52. cum loculorum schemate, ut ostendat titulos vacuos quamplures ante ollaria reperiri, vel etiam partim inscriptos, & partim vacantes, spatio, quo repleantur, relicto.

(38)

DIS . MANIB
C. DISTVLANIO . MAXIMO .
PATRI . ET . DISTVLANIAE . PHOEBE
MATRI . ET . DISTVLANIO . DONATO
FRATRI . ET . DISTVLANIAE . ELIADI
LIB. IDEM . CONIVGI
C. DISTVLANIVS . MAXIMVS
B. M. FECIT . SIBI . ET . SVIS . LIB
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
IN. FR. P. IV. IN. AGR. P. IIIS

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 229. pag. 292. ubi animadvertit, frequentissimum fuisse, ut herilis affectus in maritalem societatem coalesceret; ideoque passim iidem *patroni*, & *coniuges* in marmoribus sepulcralibus inscribebantur. Illud rarum, quod libertus Dominae suae maritus efficeretur, lege scilicet prohibente usque a Severi, & Antonini temporibus. Non enim eaedem continentiae leges viris, ac mulieribus olim appositae, quia dominus ancillae se miscere iure poterat, nulla poena sibi constituta. Unde facilius erat, mulierem benevolam, frugique repertam, cuius corpori, moribusque herus assueverat, data libertate in coniugem adoptari, sicque uno tempore patronus, & maritus efficiebatur. Communis quare idiotismus invaluit in inscriptionibus IDEM. CONIVGI, & huiusmodi.

(39)

LVCCEIO . ALEXAN
DRO . PATRI . LVCCEII
ALEXANDER . IVN
ET . AGAPE . ET . FELIX
FILI . B. M
FECERVNT

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 138. pag. 370., tamquam *sub Hortis Matthaeis*.

(40)

ATIMETO . PATRI
C. BR. DADVCHVS
ET . SYNEGDEMVS . FIL
B. M. FEC
V. A. P. M. LX

Rutulit Gudius pag. 252. n. 4.

(41)

L. SVLPICIO . L. SVLPICI . NYMPHI . F
ROMANO . VIX. ANNIS . XVIII
ET
IVLIAE . PIERIDI . MATRI . EIVS
ET . VIBIDIAE . SP. F. THALIAE
SVAE . VXORI . NYMPHI . ET
VIBIDIO . THALETI . F. THALIAE

In

In calce lapidis:

MEMORIAE . S. APVLEI . FVMVSI

Retulit Gruterius e Mazochio pag. 731. n. 7., qui ponit *in domo Iulii Matthaei*.

(42)

D . M
GALLIAE
SECVNDAE
QVAE . VIX. A. LXXXX
PETRONIVS . FELIX
MATRI . SVAE
BENEMER. FFC

Retulit Fabrettius Cap. VIII. n. 86. pag. 561. occasione cuiusdam *Efigeniae* viduae, quae vixit annos XCII., atque adnotat, in tanto veterum inscriptionum numero raros admodum reperiri, qui longam senectutem expleverint. Quare selegit quasdam ex octo millibus inter inscriptiones suas anecdotas, quae sunt eorum, qui multum vixerunt, ut ex iis humanae vitae brevitatem argueret in reliquis. Ast Cl. Alexius Symmachus Mazochius Tom. I. *Spicileg. Biblici* Differt. III. *de Gigantibus* adn. 14. pag. 195. id dandum magis balnearum nimietati, crapulae, ceterisque voluptatibus veterum temporum, quam corporum constitutioni existimat. Immo Tom. II. pag. 192. asserere non dubitat, vivaciores nunc esse homines, quam ante annos bismille, non quod vegetiores quam antea, vires humanum genus acquisiverit, sed partim ob resectas Christiana religione noxias cupiditates, partim ob excogitatas exactiores tuendae sanitatis rationes. Hinc quam pauci in orbe Romano sub Hadriano praecipue sint inventi μακρόβιοι, ex Phlegonte, qui summam init libro περὶ τῶν μακροβίων, dignosci posse animadvertit. Provocare etiam potuisset ad Malvasiam, qui in *Marm. Felsin.* pag. 76. adnotat non invidendam nostro aevo veterum longaevitatem, qui nimirum plures sua aetate ad summam senectutem provectos ibidem recenset. *Specimen* etiam *Bibliothecae eruditorum longaevorum dissertatione publica defensum a Gottlob Augusto Ienichen, & Imman. Ernesto Habnio ann.* CIↃIↃCCXXX. editum est Lipsiae ex officina Titiana. Nos vero in Ephemeridibus Florentinis ann. CIↃIↃCCLXV. num. 41. col. 653. edidimus inscriptionem antiqui liberti, qui nimirum quot haec femina *Gallia*, tot etiam annos ipse vixerat.

(43)

TAB. LXIX.

FIG. III.

DIS . MANIBVS
M. TERENTI
VS . STEPHANI . LIBERTVS
RESTITVTVS . ET . CROCALE . LI
BERTA . EIVS . CARVILIAE
MAMMAE . SVAE . BE
(sic)
NEMERITAE . OE . SE

Retulit Maffeius inter *Inscr. var.* post *Mus. Veron.* pag. 267. n. 7. Heic habes *Mammae* vocem, quae memoratur a Nonio voc. *Buas*, ubi *Var. Cato, vel de liber. educ. cum cibum, ac potionem buas, ac papas docent, & matrem mammam, patrem tatam*. Martialis Epig. 101. Lib. I. etiam ait:

Mammas, atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
Dici, & mammarum maxima mamma potest.

Fabrettius *Inscr. domest.* Cap. III. pag. 141. censet, has voces blesae puerorum linguae sonum, & tenerae nomenclaturae inflexionem praeseferre, non quod genuina vocabuli significatio ea non sit, ut Sipontinus, & ceteri Lexicographi male contendunt, sed tamquam primae infantium ad loquelam se disponentium tentamina. Ibi Fabrettius inscriptiones adducit hanc vocem exhibentes, ac etiam Vignolius post Dissertationem *de Columna Imp. Antonini Pii* pag. 304. In Ephemeridibus litterariis Florentinis anni CIↃIↃCCLXXIV. num. 31. col. 491. adduximus inscriptionem, in qua uno tempore PATER, & MATER, ac TATA, & MAMMA, tum etiam TATVLA diversis propriis nominibus applicantur. Tum etiam apud Fabrettium legitur: SATVRNINO . PATER . ET . PHOEBVS . TATA . FECERVNT . Hinc coniecimus, has voces inter se significatione differre. Forte vel avus, & avia, vel nutritor, ac nutrix designantur. Persii interpretes (Sat. III. v. 18.) ubi habetur: *& iratus mammae lallare recusas?*

de

de nutrice intelligi volunt, atque inter hos Ioh. Murmellius; *Lallare* enim non tantum lac fugere, vel fellare, fed etiam καταβαυκαλᾶν, five fopire cantu nutricis modo, fignificat. Hinc Arfaces apud Heliodorum *Aethiop.* Lib. VII. nutricem fuam Cybelem μαμμίδιον vocat. Quacumque ratione intelligatur *mammae* vox, non aliena ab hoc loco infcriptio videbitur.

(44)

MANLIA . SEVERA
MANLIAE . SECVNDAE
NVTRICI

Retulit Reinefius Claff. X. n. 50. pag. 626.

SECTIO X.
AFFECTUS CONIUGUM.

(1)

TAB. LIV.
FIG. I.

PORCIAE . IVSTAE
INNOCENTISSIMAE
CONIVGI
C. OCTAVIVS . FIRMVS

Retulit Muratorius pag. 1392. n. 3. ex fchedis Ptolomaei.

(2)

DIIS . MANIB
ATILLAE . PHLEGVSAE
M. HERENNIVS . FELIX
FECIT . CONIVGI
BENE . MERENTI

Retulit Gudius pag. 265. n. 8.

(3)

D . M
LIVIAE . VENVSTAE
C. IVLIVS . FORTVNATVS
VXORIS . BENEMERETI (sic)
V. AN. XIX. M. IX

Retulit Gudius pag. 277. n. 1., quae exftat in Urna rotunda cum operculo, foliis hederae cum baccis epigraphem circumdantibus, non autem *in eleganti columna* $1\frac{1}{4}$ *ped. alta, quafi ara*, ut ait Gudius. A latere vero urceolus, & patera confpiciuntur.

(4)

VIX. AN. XX
CORNELIAE . ANTHVSAE
CONIVGI . CARISSIM
L. COMINIVS . ARTEMIDOR
ET . SIBI

Retulit Gudius pag. 270. n. 7., qui omittit ultimam lineam ex minutioribus characteribus, tum Muratorius ex fchedis Ptolomaeis pag. 1333. n. 2., qui primam vocem non compendiarie, fed integre fcribit contra marmoris fidem. Habetur in Urna cum operculo, in cuius angulis fuperioribus duae facies humanae cum cornibus, a quibus pendet encarpus, quem roftris petunt duae aviculae caudatae, inferne ad latera adftantes. Sub epigraphe in concha marina caput iuveniale recipitur, cui adludunt duo delphini, marinae aquae expiationem, quam eluendis hominum reatibus efficacem innuimus ad Tab. LXXXVII. Fig. I. Tom. II. pag. 104., fortaffe praefeferentes. Sed vide, quae ex Fabrettio inferius trademus n. 34.

(5)

DIIS . MANIBVS
VALERIAE
THETIDI
M. VALERIVS
STEPHANIO
CONIVGI . SVAE
BENEMERENTI

Retu-

Retulit Gudius pag. 287. n. 12., Malvasia *Marmor. Felsin.* Sect. V. Cap. XIV. pag. 305., & Muratorius pag. 1414. n. 3. e schedis Ptolomaeis. Exstat in Urna cum operculo, in cuius fronte corolla, intra cuius ambitum D. M legitur, ut operculum ad aliam Urnam pertinuisse videatur, in qua eadem formula non iteraretur. Ad angulos anteriores operculi habentur duae facies scenicae, ad Urnae vero anteriores angulos adstant duae columnae in obliquum striatae cum capitulis Ionicis. Sub epigraphe tandem cernitur ianua Ditis, de qua fusius Sect. superiore n. 14. pag. 131., & ad quam adstant duo Genii, qui una manu eamdem tenent, altera corollam pendentem cum epigraphe sustentant.

(6)

TAB. LVIII.

FIG. V.

DIS . MANIBVS
NVMISIAE . NICE
VIXIT . ANNIS . LXXVIII
M. NVMISIVS . LOTOS
CONIVGI . CARISSIMAE
FECIT

Retulit Gruterius pag. 735. n. 3., Gudius pag. 281. n. 11., & Muratorius pag. 1381. n. 11. e schedis Ptolomaeis.

(7)

THEODORAE
CONIVGI . DV
LCISSIMAE
B. M. EPAPHRO
DITVS . CONIV
VX . FEC. Q. V. AN
N. XXV

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 378. pag. 313.

(8)

D. M
SEPTVEIAE
CALLISTENI
VAGELLIVS . FOR
TVNATVS . CONIV
CI . B. M. FECIT
ET . V. C

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 462. pag. 653.

(9)

TAB. LX.

FIG. II.

P. ETRILIVS . ABASCANTVS
ETRILIAE . DANAE . VXORI
KARISSIMAE

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 171. pag. 620. inter gentilitia nomina a Gruterio omissa. Super epigraphe cernitur defuncta iacens cubito innixa, qualis exhibetur Tab. LX. Fig. II.

(10)

D. M
L. CAECILIVS . SPENDON
APATE CONIVGI
SVAE BENE
MER ENTI
VIX IT
ANN XXXX
SIBI ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVS
QVE . POSTERIS . QVE
EORVM

Retulit Gudius pag. 266. n. 11., & Fabrettius Cap. II. n. 15. pag. 66., sed uterque non exacte omnino quoad epigraphem. Exstat in marmore, in cuius medio cavitas novem foraminibus instructa ad lacrimas, seu potius ad libationes affinium excipiendas. Cavum cum forulis expressit Gudius, & adnotavit Fabrettius. Cernitur nunc in Ambulacro Vaticani Palatii, quo pergitur ad Museum Clementinum.

TAB.

(11)

TAB. LXX.

FIG. II.

D. M. S
PLAETORIAE
ANTIOCHIDI
RARISSIMAE . FEMINAE
VIX. ANN. XXVI. M. III. D. XXIV. H. X
T. FLAVIVS . CAPITO
CONIVGI . CASTISSIMAE
PIISSIMAE . ET . DE . SE
OPTIME . MERITAE
DE . QVA NVLLVM . DOLOREM
NISI . ACERBISSIMAE . MORTIS . EIVS
ACCEPERAT . DIGNISSIMAE . FECIT

Retulit Gruterius pag. 815. n. 7., qui ponit *Romae in aedibus Antonii Tronsarelli prope S. Pantaleonis*, & Fabrettius Cap. IV. pag. 275. n. 162., sed uterque parum exacte. Non infrequens est huiusmodi postrema testificatio viri de coniuge erga se bene meritae, cum & apud Gruterium habeatur pag. 794. n. 2. DE . QVA . NIHIL . ALIVD . DOLITVS . EST . NISI . MORTEM ., pag. 795. n. 2: NIHIL . VMQVAM . PECCAVIT . NISI . QVOD . MORTVA . EST ., pag. 792. n. 6: DE . QVA . DOLVT . NIHIL NISI . MORS . EIVS ., pag. 990. n. 3: EX . QVA . NIHIL . VMQVAM . DOLVI . NISI . CVM . DECESSIT ., pag. 1001. n. 7: DE . QVA . NIHIL . DOLVIT . NISI . MORTEM . EIVS . , & apud Fabrettium Cap. IV. n. XII. pag. 273: CVIVS . DOLORE . NIHIL . HABVI . NISI . MORTIS. Cippum ornatissimum vide expressum Tab. LXX. Fig. II. Ex Hortis Matthaeiorum in Museum Vaticanum Clementinum processit.

(12)

TAB. LXVII.

FIG. I.

L. PASSIENIVS . SATVRNINVS . FECIT

D ❦ M
PASSIENIAE . GEMEL
LAE . CONIVGI . ET . LIB
SVAE . CARISSIMAE
OBSEQVENTISSI
MAE . ET . L. PASSIE
NIO . DORYPHORO
FILIO . ET . PASSIENIO
SABINO . FILIO . ET . LIB
SANCTISSIMIS

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 31. pag. 7., sed non exacte. Hanc vero ipse adduxit, ut ostenderet, filios simul, & libertos esse quosdam potuisse; quandoquidem vernae domi ex hero, atque ancilla geniti, libertate a patre adepta, eius liberti simul, & filii appellabantur. Similes inscriptiones referuntur a Gruterio pag. 873. n. 13., pag. 932. n. 8., & 13., pag. 945. n. 3., pag. 947. n. 5., pag. 950. n. 7., & pag. 1151. n. 7. Similes filios naturales vocat laudata Gruterii inscriptio pag. 845. n. 3. FILIA . NATVRALIS . IDEM. LIBERTA . PATRI . OPTIMO. De herili affectu in maritalem societatem coalescente, ut proinde *Coniugi*, & *Libertae* mariti parentarent, diximus superiore Sectione n. 36. pag. 137. Sic etiam uxor iusta persolvit *Domino*, & *Coniugi* in inscriptione Hortorum Nigroniorum, quam edidimus in *Sylloge veter. inscr.* n. 36. pag. 478. Tom. III. *Anecdotorum*. Occurrit etiam mariti pietas comprobata *Patronae*, & *Vxori* n. 37. pag. 479. ibid. Sed hoc rarius ob leges in mulieres, quae se mancipiis, aut libertis copulabant, inclementiores. Vxoris, & natorum effigies habentur in fronte Cippi ad Tab. LXVII. Fig. I., & ad dexterum latus coniuncti simul occurrunt Amor, & Psyche, quibus coniugalis amor designatur.

IVCVN-

(13)

IVCVNDA . FESTI
FIDELISSIMA . ET
AMANTISSIMA
VIRI . SVI
VIXIT . ANN. XXIV

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 300. pag. 52. De ſpatiis vacuis in titulis marmoreis rationem adduximus ſuperius Sect. IX. n. 26. pag. 135., & n. 37. pag. 137.

(14)

DIIS . MANIBVS . V. A. I
A. LAPPIVS . DAMA
F. LAPPIAE . HERMIONI
COIVGI . S. ET . SI. ET . S

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 17. pag. 121., qui heic adnotat, litteram A lineae 2. initio poſitam punctum in medio habere, non lineam, ut communiter, quod ab ultima vetuſtate ad infima imperii Romani tempora invaluit. Aliam inſcriptionem hac litterae forma inſtructam adduximus nos in Ephemeridibus Florentinis anni CIƆIƆCCLXV. n. 41. col. 649., licet tamen antea ipſam edidiſſet Gruterius pag. 856. n. 12. Heic habes etiam *Hermiones* ſervile nomen in cognomen converſum, de quo diximus ſuperius Sect. VIII. n. 4. pag. 128. Ultimam lineam ſic lege: CO*n*IVGI . S*uae* . ET . SI*bi* . ET . S*uis*.

(15)

D . M
RESTITVTAE . MATI
AVG. FIL. SER
HERMES . CONIVGI
BENEMERENTI . ET . SIBI
ET . SVIS

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 376. pag. 313. Lin. 2. lege: MATI*diae*, quae Traiano in filiam adiudicatur, quod eius nomen docere primum coeperit M. Velſerius *not. ad monum. Auguſt.* ex antiqua inſcriptione, quae videri poterit etiam apud Reineſium Claſſ. III. n. 18. ſimul cum aliis Capuana, & Sueſſana, a quibus idem innui videtur. Altera Matidia Marcianae Traiani ſororis filia notiſſima eſt. Licet vero matrimonium inter ſervos conſtare non poſſet, ut patet ex l. *plerumque* 35. *ff. de aedil. edict.*, l. *Servi* 25. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* cum vulgatis, & ex grammatica proprietate ancillae cum ſervis corpora commiſcentes non *uxores*, ſed potius *coniunctae conſervae*, *ex quibus habeant filios*, vocentur a Varrone *de re ruſt.* Lib. I. cap. 17., tamen huiuſmodi feminis contubernalibus coniugum nomen, ut in hac noſtra inſcriptione, inditum eſt, & quidem non infrequenter, ut ex aliis a Fabrettio adductis inſcriptionibus, inter quas habetur etiam illa, quae olim ut anecdota a nobis edita fuit in Ephemeridibus Florentinis ann. CIƆIƆCCLXIII. n. 48. pag. 762. Haec etiam expoſuimus ad Tit. XXXVII. *Legis Roman.*, ſive *Reſponſi Papiani* adn. 11. pag. 258. Contubernalem vero adducemus Sect. XII.

(16)

D . M
M. EPPVLEIVS
NILVS . ACTE
CONIVGI
SVAE . BENE
MERENTI
FECIT
V. A. XVIII

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 199. pag. 381. Heic habes fluminis nomen homini inditum, de quo ſuperius egimus Sect. V. n. 3. pag. 114. De Acte Neronis concubina etiam dictum a nobis eſt ſuperius Sect. VI. n. 13. pag. 121.

(17)

D . M
AELIVS . AVG. LIB. SIBI
ET . ANTONIAE . CYRIL
LAE . VXORI . INCOM
PARABILI . ET . SVIS . ET
LIB. LIBERQ. POS
TERISQ. EORVM

Retulit Maffeius poſt *Muſ. Veron.* inter *Inſcript. var.* pag. 267. n. 4.

VIVIT.

(18)

VIVIT . M. VETTIVS . M. L. SVRVS
ET . VETTIAE . M. L. CALLISTENI
VIVIT . MVLIERI . MEAE . M......
ET . MEIS . EMI . VI . . . .
MONVMENT . AVRELIA

Retulit Sponius Sect. VII. pag. 247. n. 8. , & Gudius pag. 289. n. 4. , apud quem epigraphes paullo integrior, quam apud Sponium. Carpit heic Sponius Scaligerum, quod in Indice Gruteriano litteram V praenomen existimet, cum VIVVS legendum sit, ut censuit etiam Lipsius, & ut heic expresse legitur. Inferius adducemus alteram inscriptionem, ubi sola littera V exprimitur.

(19)

AELIAE . AGATHEMERIDI
CONIVGI . CARISSIMAE
Q. V. AN. XXXV. FECIT
EVSEBES . AVG. SIBI . ET
SVIS . POSTERISQ. EORVM

Retulit Gudius pag. 262. n. 8.

(20)

AERENNIAE . EVPHRO
SINE . CONIVGI
B. M. FECIT
L. HORDIONIVS . ERASTVS
ET . SIBI . ET . SVIS . POSTERISQ
EOR

Retulit Gudius pag. 263. n. 3.

(21)

ALBIAE
PRIMIGENIAE
FEC
P. ALBIVS
PRIMIGENIVS . CON
IVGI . S. B. M. ET . S
POSTERISQ. S. L. P. III. L. P. II

Retulit Gudius pag. 263. n. 4.

(22)

TI. CLAVDIVS . HESYCHVS
FECIT . SIBI . ET
CLAVDIAE . ODE . CONIVGI
ET . CLAVDIAE . VERAE . ET
CLAVDIAE . CIVITATI . F
ET . CLAVDIO . VERO . F
POSTERISQVE . SVIS
T. RVFRIAE . PEPENTINAE . VXORI

Retulit Gudius pag. 268. n. 13. Monuimus superius Sect. IX. n. 15. pag. 132. male adsui huic Arae inscriptionem alteram Hortorum Matthaeiorum, quam nos ipsi oculata manu excepimus ex tabula marmorea.

(23)

DIIS . MANIBVS
T. FLAVIVS . PHILANTHVS
ATILIAE . IVSTAE . CONIVGI . SV
AE . BENEMERENTI . FECIT
SIBIQVE . POSTERISQ. SVIS

Retulit Gudius pag. 261. n. 10.

(24)

D . M
CORNELIAE
EORTE
CONIVGI . BE
MERENTI
CORNELIVS
EROS . FECIT

Retulit Gudius pag. 270. n. 5.

(25)

DIS . MANIB
A. CRISPINO
ENCOLPIO
CRISPINAE
ENCOLPIAE
VIXIT . ANN. X
CRISPINA . NICE
CONIVGI . ET . F. SVAE
BENEMERENTIS . FECIT

Retulit Gudius pag. 270. n. 12.

...Q.TRE-

(26)

. . . . Q. TREBIVS . Q. L
. . . . CRYSOGENES . SIBI . ET
. . . . . . VGI . SVAE

Retulit Gudius pag. 286. n. 10.

(27)

MEMORIAE . VELIAE . PRIMI
TIVAE . VXORI . BENEMEREN
TI . FECERVNT . VELIVS . EVTY
CHES . MARITVS . ET . VELIVS . A
MARANTHIANVS . ET . VELIA
AEMILIA . FILI . SIBI . POSTERISQ. EORVM . QVAE
VIXIT . ANNIS . XXVIIII. MENS. VI. DIEB. IIII

Retulit Gudius pag. 288. n. 2.

(28)

. . . . . . ENIVS . P. F. POL
. . . . . . FECIT . SIBI . ET
. . . . . . AE . PAVLLAE
. . . . . . CARISSIMAE

Retulit Gudius pag. 291. n. 4.

(29)

C. PAPIRIVS . CESTIVS
VERGILIAE . OPTATAE
VXORI . SVAE . BENEME
RENTI . DE . SE . VIXIT
ANNIS
LXII

Retulit ex Mazochio, & Apiano Gruterius pag. 824. n. 6., qui ponit *in domo Iulii Matthaei*. Exstat in Vase cinerario oblongo.

(30)

C. RVBRIVS . VRBANVS . SIBI . ET . ANTONIAE
DOMESTICAE . CONIVGI . SVAE . ET . CN. DOMITIO
VRBICO . RVBRIANO . FILIO . SVO . ET . LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
ET . M. ANTONIO . DAPHNO . FECIT
QVI . DVM . VITA . FVIT . SEMPER . VIVEBAT . AVARVS . HEREDI . PARCENS . INVIDVS . IPSE . SIBI
HIC. ACCVMBENTEM. SCVLPI. GENIALITER. ANTE. SE. IVSSIT. DOCTA. POST. SVA. FATA. MANV
VT. SALTEM. RECVBANS. IN. MORTE. QVIESCERE. POSSET. SECVRA. QVE. IACENS. ILLE. QVIETE. FRVI
FILIVS. A. DEXTRA. RESIDET. QVI. CASTRA SECVTVS OCCIDIT. ANTE. PATRIS. FVNERA. MOESTA. SVI
SED. QVID . DEFVNCTIS . PRODEST. GENIALIS. IMAGO. HOC. POTIVS. RITV. VIVERE. DEBVERAT

Retulit e Mazochio, & L. Budaei schedis Gruterius pag. 823. n. 2., qui ponit *in domo Ludovici Matthaei*. Vidit Metellus, ac Smetius antiquos esse versus non credit. Genuinos vero contendit Celsus Cittadinius, ex cuius Operum Vol. V. pag. 585. retulit Franc. M. Bonada *Carmin. ex antiq. lapid.* Vol. II. Class. VI. n. 1. pag. 97. Paulisper inter se differunt, cum prior nempe vers. 1. legat VITA . FVIT ., alter VITA . DATAST ., & vers. ult. prior habeat DEBVERAT, alter DEBVERANT. Inter titulum, & versus cernitur anaglyphum, quod ita describit Gruterius: „ Hic „ pater recubat in lecto, ollam nummorum ple- „ nam complexus & manu, & brachio sinistris: „ ex ea aureos plures dextera ante se versat; ad- „ sidet ad pedes filius habitu militari, gladio ac- „ cinctus, nummosque aliquot quasi decidentes „ excipit manu dextera; stat iuxta tripes, supra- „ que eum aliae tres ollae. „ Supra versus extant apices, ut eos proinde ad Augusti saeculum spectare putet Cittadinius. Hos longis syllabis apponere solebant veteres, ut praeter Isidorum Cap. IV., & XXVI. testis est Terentius Scaurus, a quo indicatur *apex linea transversa vocalibus longis superimposita*; tum Quinctilianus, qui Lib. I. cap. XIII. ait: *Sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubiis habent, ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurima natura ipsa verbi, quod scribitur, patent; sed interim necessarium, quum eadem littera alium intellectum, pro ut correpta, vel producta est, facit*. Hanc vero legem minime Augusti aevo latam

latam fuisse constat ex inscriptione Capitolina LARIBVS . AVGVSTI , in qua occurrunt apices, ut in nostris versibus, nulla suadente necessitate. Parcissime vero eosdem usurpatos videas in utroque Pisano Coenotaphio. Ceterum etiam posteriori aevo apices in usu erant, ut patet ex basi Obelisci Augusti in Campo Martio effossi, ubi litterae cum apicibus observantur. Vid. Cl. Angelum M. Bandinium *de Obelisco &c.* De accentibus, sive apicibus, ut appellandos ex veterum adductis auctoritatibus recte suadet Lipsius *de recta pronunc. ling. Lat.* Cap. XIX., vide differentem Philippum Antoninium de Antiquitatibus Sarsinae Par. I. Cap. VI. pag. 59., & seq. recentis editionis Faventinae, qui inscriptionem iisdem insignitam adduxerat Cap. V. pag. 30., & Fabrettium Cap. III. pag. 168., ubi aliam Hortorum Matthaeiorum inscriptionem iisdem donatam, etiam a nobis inferius adducendam profert. Tandem aliam inscriptionem anecdotam, nunc in Vaticano Ambulacro exstantem, atque ita signatam nos etiam edidimus in Ephemeridibus Litterariis Florentinis anni CIƆIƆCCLXIX., ubi n. 18. col. 275. de hisce apicibus verba fecimus. Bonada tandem, ne quid intactum relinquamus, *C. Rubrii Urbani* sordidum avaritiae genium in hisce Ausonii versibus repraesentat, quos heic adducimus:

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
Ast qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit, laqueum.

(31)

D . M
PRIMA . ET . MORIBVS . VIXIT
A. XXVIII. OSSA . BENE . QVIESCANT
TVA . NVLLVM . DOLOREM . ACCEPI . TVI
NISI . QVOD . FATALEM . DIEM . CELERITER
PEREGISTI

Retulit ex Mazochio Gruterius pag. 921. n. 10., qui ponit *in domo Ludovici Matthaei*. Posteriorem affectus expressionem etiam superius aliis exemplis illustravimus n. 11. pag. 141.

(32)

DIS . MANIBVS
T. FLAVIVS . PHILANTHVS
ATILIAE . IVSTAE . CONIVGI . SV
AE . BENEMERENTI . FECIT
SIBI . POSTERISQVE . SVIS

Retulit Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 1345. n. 11. Hactenus mariti uxoribus, nunc uxores maritis parentantes occurrent.

(33)

ARCENTI . HAVE

D | ARRIO . HO RATO . EYTY CHETI . ACI LIA . CARNVS CONIVGI . DE SE . B. M. F | M

ARCENTI . TV . NOBIS . BIBES

Retulit Gudius pag. 265. n. 2., qui in una vocula peccat, & Fabrettius Cap. II. n. 236. pag. 102., sed non integre, nec emendate. Hanc epigraphem posterior adduxit, ut ostenderet, saepe in honorariis elogiis aliquid extra ipsa apponi a veteribus consuevisse. Vide, quae hac de re diximus superius Sect. III. n. 3. pag. 105. Peculiaris fuit, Fabrettio adnotante Cap. III. pag. 122., marmorariorum pseudographia, qua HAVE cum adspiratione scriberent, quod passim usurpatum designat Scaliger in indice eorum, quae ad rem grammaticam pertinent. Dausqueius vero hoc verbo pag. 150. non abusum agnoscit, sed derivationis legem, vel vetustiorem usum. Verum salutatio haec ita expressa occurret etiam inferius. Exstat in Urna rotunda cum operculo, quae nunc est in Museo Clementino Vaticano.

(34)

TAB. LXI.

FIG. III.

D ❦ M
AVRELIA . HERMIO
NE . FECIT . AVRELIO . IN
GENVO . CONIVGI
KARISSIMO . ITEM . AV
RELIVS . PHILANDER
LIBERTVS . PATRO
NO . MERENTI ❦

Retu-

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 362. pag. 61., & Malvasia *Marm. Felsin.* Sect. V. Cap. XIV. pag. 305. De *Hermienes* nomine diximus superius Sect. VIII. n. 4. pag. 128., & hac ipsa Sect. n. 14. pag. 142. Urnae formam habes Tab. LXI. Fig. III.

(35)

TAB. LXX.

FIG. I.

LVCCEIA . HEBENE
SE . VIVA . FECIT
DIS . MANIBVS
M. LVCCEIO . OPTATO
COIVGI . SVO . PIISSIMO . ET
LVCCEIAE . POSILLAE
FILIAE . SVAE . PIISSIMAE . QVAE
VIXIT . ANNOS . V. ET . MENS . III

Retulit Gudius pag. 277. n. 7., & quidem accurate, & Muratorius ex Ligorio, & Donio pag. 1368. n. 6., sed in lin. 5. aliquid peccat, atque exstare ait *in vinea Scappucciorum*. Vide ectypum arulae Tab. LXX. Fig. I., ubi inter cetera anaglypha Delphinus cernitur, qui iuxta aliquos significationem habet elegantem, consultae nempe, tardaeque festinationis, & coniugalis concordiae. Sed *fortuito marmorariorum lusui*, ut ait Reinesius de foliorum interpunctione, haec, & similia symbola tribui commode possunt in huiusmodi urnulis pro defunctorum cineribus condendis, sine delectu a superstitibus comparatis. Aliam significationem dedimus superius n. 4. pag. 139., & alibi. De Medusae Capite diximus superius Sect. IX. n. 14. pag. 134.

(36)

TAB. LXXI.

FIG. I.

D. M
I. MANLIO
PHILARGYRO
FEC. LARCIA . RVFI
NA . CONIVGI . SVO
B.M.V.A.XXXXV.ET. SIBI

D. M
LARCIA . RVFI
NA . CONIV
GI . SVO . B.M

Retulit Gudius pag. 278. n. 11., sed non accurate omnino.

(37)

D. M
P. LABERIO . P. L. PERSEO
LABERIA . VENVSTA . CONIVGI
KARISSIMO . BENEMERENTI . F

Retulit Muratorius pag. 1364. n. 6. ex schedis Ptolomaeis. Exstat nunc in Ambulacro Palatii Vaticani.

(38)

TAB. LXI.

FIG. I.

DIS . MANIBVS . SACRV
TI . CLAVDIO . ONESIMO
ACTES . LIB. CLAVDIA
FELICVLA . CONIVGI . SVO
BENEMERENTI . FECIT
VIXIT . CVM . EO . ANNIS . XXI

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 32. pag. 125., sed non accurate. Vid. quae de Acte Neronis concubina diximus superius Sect. VI. n. 13. pag. 121.

(39)

TAB. LX.

FIG. I.

DIS . MANIBVS
T. TITVLENI . ISAVRICI
IVLIA . TYCHE
CONIVGI . BENE . MERENTI

Retulit Muratorius pag. 1410. n. 6. ex schedis Ptolomaeis. Habes defunctam super epigraphem iacentem, ut videre est Tab. LX. Fig. I. Urna haec subrepta fuerat mense Martio anni CIƆIƆCCLXV. sed dein redempta.

D. M

(40)

D . M
Q. VIBIO
TROPHIMO . FECIT
VIBIA . FORTVNATA
CONIVGI . OPTIMO
BENEMERENTI

Retulit Gudius pag. 288. n. 13., & Muratorius ex schedis Ptolomaeis pag. 1420. n. 12. Super arae plinthidem cernitur figura iacens.

(41)

DIS . MANIBVS
TI . CLAVDI
EVTYCHI
ARRIA . THEAGENIS
CONIVGI . BENE
MERENTI . ET
CLAVDIAE . ONESIME . ET
CLAVDIO . THEOGENI
FILIS . PIISSIMIS . FECIT

Retulit Gudius pag. 269. n. 1., & Muratorius pag. 1328. n. 8. ex schedis Ptolomaeis; sed neuter accurate.

(42)

TAB. LXXII.

FIG. II.

DIS . MANIBVS
P. VITELLI . SVCCESSI
VITELLIA . CLEOPATRA
VXOR . BENEMERENTI
FECIT

Retulit Muratorius ex schedis Ptolomaeis pag. 1422. n. 7. Habes heic Urnam ornatissimam expressam Fig. II. Tab. LXXII. Coniugum Protomae exstant in fronte operculi. Ad latera exstant Gryphes cinerum custodes, de quibus non uno in loco superius diximus. Insuper Coena feralis heic cernitur, de qua egimus superius in hoc ipso Volumine Class. VIII. Tab. XLIV. Fig. II. pag. 82. Migravit nunc in Museum Clementinum Vaticanum.

(43)

TAB. LV.

FIG. II.

DIS . MÁNIBVS
L . AEMILIO . L . L
EPAPHRODITO
REFRIA . IÚNIA . VIRO
SVO . BENEMERENTI . FECÍT

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 321. pag. 168., ut ostenderet accentuum, sive apicum usum in veterum monumentis, quibus longae syllabae signarentur. De hac re superius egimus hac Sect. n. 30. pag. 144. Urnam ornatissimam heic habes Tab. LV. Fig. II., ubi cernitur caput Medusae, de quo superius Sect. IX. n. 14. pag. 132., tum inferne currus Circensis, de quo etiam aliqua attigimus hoc ipso Volumine Class. VIII. Tab. XLVII. Fig. II. pag. 87. Cetera intuenti patebunt. Exstat nunc in Museo Clementino Vaticano.

(44)

. . . . . . PRIMIGENIA
. . . . . . FECIT . SIBI . ET
CAMILLO . PRIMIGENIO
VIRO . B . M . ET
C. DOMITIO . PROCVLO
FILIO
PIISSIMO

Retulit Muratorius pag. 1392. n. 12. ex schedis Ptolomaeis, quibus multum debemus, quod nobis, licet mancam, integriorem tamen, quam nunc conspiciamus, hanc epigraphem servaverint. In eo tamen peccant, quod lin. 5. initio praenomen C. omiserint. Exstat in ara rotunda.

(45)

FECIT . AVILIO
TO . SVO . CONQVE
IT . SINE . VLLA . QVA
ENT . ET . SIBI . ET . SVIS

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 303. pag. 305. Idiotismus *cum quem* saepe in lapidibus occurrit, quem intollerandam barbariem vocat Fabrettius, cuique accedit CONQVE, ut in nostro titulo legitur. Vid. & Lupium *Epitaph. Severae M.* pag. 30., 168. &c.

D. M

(46)

D. M
SARTVRNIO
VRBICO . CONIVGI
B. M. ET
MYRISMO . FIL
Q. V. A. XV. M. X. D. X
CL. COMPSE
FECIT

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 379. pag. 645. Heic habetur gens Sarturnia, cuius Gruterius non meminit.

(47)

D. M
C. LVCRETI . NICEPHORI
CONIVGI . B. M
ALBVCIA . RESTITVTA
FECIT . SIBI . POSTERIS
QVE . SVIS

Retulit Gudius pag. 278. n. 1.

(48)

D. M
C. SEPTIMIO
DIADVMENO
CONIVGI . B. M
LVCCEIA . SOTERIS
FECIT . ET . SIBI

Retulit Gudius pag. 285. n. 7.

(49)

D. M
C. PVBLICIO
SECVNDINO
QVI . VIX. ANN. XXVII
MENSIBVS . II
CAECILIA . PAVLINA
CONIVGI . OPTIMO
FECIT

Retulit Muratorius pag. 1393. n. 15. e ſchedis Ptolomaeis.

(50)

ATTIA . L. F
SATVRNINA
CONIVNX . PROLOGI

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 362. pag. 312., Franc. Heiſſelius in Indicis Gudiani Cap. XXIII. pag. 90. ex ipſis Gudii ſchedis pag. 547. loc. 7., qui tamen ATTILIA pro ATTIA, & PROLOGA pro PROLOGI habet; tum etiam Maffeius inter *Inſcript. var.* poſt *Muſ. Veron.* pag. 268. n. 7., cuius lectio cum Fabrettina omnino convenit.

(51)

....IA IVLIA . IRENA
....TIS HILARI . CONIVX
ETIL VIX. ANN. XXVII
NATIONE . ARMIN

Retulit Gudius pag. 276. n. 4., & Maffeius loc. cit. pag. 268. n. 8., qui tamen primam partem epigraphis, licet obtruncatam, prorſus omittit.

(52)

CELSA . FASTIDIENA
QVAE . FVIT
DAMOCRATE
NIS . CONIVX

Retulit Muratorius e ſchedis Ptolomaeis pag. 1654. n. 8.

SE-

SECTIO XI.

AFFECTUS PROPINQUORUM ET AMICORUM.

(1)

D . M
M. RVFRIVS . M. L. PHLAPFIPHVS (sic)
RVFIA . M. L. IVCVN . SOROR
ARGVNDI

Retulit Muratorius pag. 1598. n. 11. e ſchedis Ptolomaeis, & rurſus pag. 1738. n. 9. ex P. Ginannio, ubi notat, Gorium ponere hunc lapidem Florentiae, & in fine legere ARCYNNI. Male etiam habet Muratorius lin. 2. PHILADELPHVS, & lin. 3. RVFRIA loco eorum nominum, quae nos oculata manu excepimus.

(2)

D . M
PRIMIGENIO
VIX. ANN. XII
APOLLONIA . SOROR
B. M. F

Retulit Maffeius inter *Inſcr. varias* poſt *Muſ. Veron.* pag. 268. n. 6.

(3)

DIS . MAN	D. M
TI . CLAVDIVS	TELESPOR
APEMANTVS	LIBERTVS
CLAVDIAE	VIXIT . ANN
APRODISIAE	SCRISPISIT . L̄
CONGNATAE	APRODISIA
B. M. FEC	

Hactenus anecdotus uterque hic titulus fuit; nec praeterea alius ex tot Hortorum Matthaeiorum monumentis. Odericius in ſua *Sylloge veterum Inſcript.* n. XI. pag. 212. adnotat verbum *ſcribere* novam formulam eſſe pro veteri *ponere*, *dedicare*, *facere*. Numerus L. pertinet ad lin. ſuperiorem, quo anni deſignentur.

(4)

DIIS . MANIBVS
M. POPVLII . APOLLONI
L. LVCILIVS . SVCCESSVS
AMICO . DE . SVO

Retulit Iulius Iacobonius in *Append. ad Fonteium de priſca Caeſiorum gente* Cap. XI. pag. 145., qui ponit *Romae penes Aurelium Matthaeium*.

(5)

SVLPICIAE . INGENVAE . FEMI
NAE . SANCTISSIMAE . ET . PIEN
TISSIMAE . FECERVNT . AVRELI
FLORENTINVS . ET . FAVSTINA
ET.SIBI.ET.LIBERTIS.SVLPICIAE.IN
GENVAE. ITEM. SVIIS. ET. GRINNIO
EVTYCHETI . AMICO . KARISSIMO
ET . LIB . EIVS

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 202. pag. 150., ubi de beneficio iuris ſepulturae commune LIBERTIS . LIBERTABVS. POSTERISQVE . EORVM nonnulla adnotat. Advertit enim, placuiſſe ICtis inanem eam clauſulam eſſe, niſi tunc, cum liberti heredes patrono exſtiterunt, ut reſpondit Ulpianus in *l. Vel quod 6. ff. de relig., & ſumpt. fun.*, quod tamen in ſepulcris, quae quis ſibi, heredibuſque ſuis conſtituit, vel quae paterfamilias iure hereditario acquiſivit, locum habet. Sed cum indiſtincte in omnibus tam hereditariis, quam familiaribus formula haec libertos vocandi frequentiſſime legatur, vix ipſe credit, rigorem illius legis umquam admiſſum, eo praeſertim quia exceptiones certorum libertorum in multis inſcriptionibus apud eumdem Cap. III. n. 190. ad 194. pag. 148. ceteros non exceptos ad iura ſepulcri vocatos arguunt. Ut quid enim eos nominatim excludere opus erat, quos tacite in ultima voluntate praeteriiſſe ſufficiebat? Quare non inſulſe, ut adnotat Fabrettius, adverſus eas forenſes ambages aperte diſpoſitionis vim enervantes excogitavit

vit profecto hanc cautelam *L. Apisius* apud Gruter. pag. 662. n. 5: HVIVS . MONV. DOLVS . MAL. ABESTO . ET . IVRISCONSVLT., quae expressa videtur ex non absimili clausula *l. Codicilli* 89. *ff. de legat. II*: *Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo Iurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam miseram, & nimiam diligentiam*; quemadmodum aliam lapidariam formulam, his respondentem, adduximus nos ad Tit. XVII. *Legis Roman.*, seu *Responsi Papiani* adn. 2. pag. 203., scilicet: AB . IIS . OMNIBVS . DOLVS . MALVS . ABESTO . ET . IVS . CIVILE . Quare censet Fabrettius, eo minus odiosam legis huius dispositionem viguisse, tunc cum alieni liberti, amicorum nempe, ad communionem sepulcri vocabantur, ut in hac inscriptione.

SECTIO XII.

AFFECTUS PATRONORUM LIBERTORUM ET SERVORUM.

(1)

D . M
EVTYCHI
FLAVIVS
PHILODESPOTVS
FLAVIA . IVSTA
SERVO . SVO
BENEMERENTI
FECERVNT

Retulit Muratorius pag. 1535. n. 13. e schedis Ptolomaeis.

(2)

D . M
TI. CL. CARITO
ONESIMO . PVERO
B. M. ET . SIBI . POSTE
RISQ. SVIS

Retulit Gudius pag. 301. n. 4. Paullus *l.* 204. *ff. de verb. signif. unam* ex tribus significationibus appellationis pueri esse ait, *cum omnes servos pueros appellamus*. Servos *pueros* vocat Cicero *ad Attic.* Lib. I. epist. 12., ubi ait: *Puer festivus anagnostes noster Sositheus decesserat, meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat*. Hinc servilia nomina *Marcipor*, *Caipor*, *Lucipor*, *Publipor*, de quibus Pignorius *de Servis* Cap. V. pag. m. 21.

(3)

DIS . MANIBVS
C. VABERIO
SERVANDO
VIXIT . ANNIS . XXXX
C. VABERIVS . SYNEROS
LIBERTO . BENE
MERENTI . FECIT . ET
VABERIA . PALLAS
COLLIBERTA

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 459. pag. 653. inter gentilitia nomina a Gruterio omissa.

(4)

D . M
FLAVIAE
SVCCESSAE
T. FLAVIVS
PRIMITIVS
LIB. KARISSIMAE

Retulit Muratorius pag. 1537. n. 6. e schedis Ptolomaeis, sed incorrecte.

TAB.

(5)

Tab. LXIX.

FIG. IV.

D. M
LIVIAE . P. F
P. LIVIVS . FORTVNATVS
LIBERTAE

Retulit Muratorius pag. 1545. num. 9. e schedis Ptolomaeis.

(6)

V. N. BALONIVS
Θ. BALONIAE . N. L
SECVNDAE . VIX. AN. XXVII
V. N. BALONIO . DARDANO

Retulit Gudius pag. 341. n. 7., & Muratorius pag. 1523. n. 5. e schedis Ptolomaeis, in quibus omissae sunt siglae V, & Θ, quae vitam, & *θάνατον* indicant. De priori iam superius diximus Sect. X. n. 18. pag. 143. Notum est *nigrum theta*, quod est apud Persium Sat. IV. ver. 13., quodque est signum mortis, ut explicat Isidorus Lib. I. Cap. 23., aliique.

(7)

D. M. TVRPILIAE
NEBRIDI . TVRPILIVS
MARTIALIS . LIBERTAE
BENEMERENTI . FECIT

Retulit Gudius pag. 348. n. 9.

(8)

DIIS . MANIBVS
TI . CLAVDII . TI. F. QVI
VALERIANI
VIXIT . ANN. VIIII. MENS. VI
D. VALERIVS . EVTICHES
ET . SIBI . ET
VALERIAE . SOPHE
CONTVBERNALI

Retulit Malvasia *Marm. Felsin.* Sect. VIII. Cap. II. pag. 461., sed parum exacte, & Fabrettius Cap. IV. n. 406. pag. 316. Ibidem ipse monet, per hanc inscriptionem sublatam cerni distinctionem illam inter nomina *contubernii*, & *coniugii*; quandoquidem nedum servi inter se *coniuges* se appellant, ut ex innumeris inscriptionibus patet, verum libera etiam capita se contubernales inscribunt, ut prodit haec nostra. Ast fatetur Fabrettius ipse aliquos ex iis, quos refert, tum & nostros hosce in contubernio esse potuisse, quod etiam inter liberum, & ancillam constat per *l. cum ancillis 3. Cod. de incest., & inutil. nupt.*, licet tamen haud multas inscriptiones cum *contubernii* notis de utraque persona libera intelligi idcirco debere contendat. *Valeriae* vero nomen, quod uxor gerit, libertam ipsam uno tempore fuisse facile prodit. De herili affectu in maritalem converso vide, quae superius adnotavimus Sect. X. n. 15. pag. 142. De Contubernalibus vide etiam Odericium *Syllog. Inscript.* pag. 216., & adnot. nostram (11) ad *Leg. Roman.*, seu *Respons. Papian.* Tit. IX. pag. 173., & adnot. (11) Tit. XXXVII. pag. 258. Cippus hic exstat nunc in Museo Clementino Vaticano.

(9)

D. M
C. VMBRICIO
PANTAGATO
FECIT . CLODIA
FORTVNA . VERNE . SV
QVI . VIXIT . ANN. XV. MEN
V. DIEB. XIII. HORIS . X

Retulit Gudius pag. 350. n. 2., & Muratorius pag. 1568. n. 3. e schedis Ptolomaeis, sed incorrecte. De horarum enumeratione vide, quae diximus superius Sect. VII. n. 4. pag. 125., ubi inscriptionem recepimus, quam nunc damus, eam nempe, quam designavit Mabillonius *Itin. Italic.* Tom. I. pag. 88. Addimus nunc apud Gruterium pag. 544. n. 6. haberi, *Iulium Caesarem Longinum vixisse annos* XLI. *menses* III. *dies* XIII. HOR. NVL. Titulus hic non rudibus, ut ait Gudius, sed elegantibus litteris exaratus habetur nunc in Ambulacro Vaticano a Clemente XIV. inscriptionibus ornato.

TAB.

(10)

Tab. LXXI.

FIG. V.

D . M
NVMISTAE
HEORTE
ANNORVM . X . MESVM (sic)
VIII. DIERVM . XXV
NVMISIA
TROPHIME
VERNAE
DVLCISSIMAE

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 280. pag. 707., qui tamen lin. 5. perperam habet III. pro VIII.

(11)

DIS . MAN
FONFRIA
TYCHE
AMPELIDI
VERNAE
VIX . ANNIS
V

Retulit Gudius pag. 344. n. 2.

(12)

D . M
HERCVLANI
QVI . VIXIT . ANN. XXV
FLAVIA . MARCELLINA
ALVMNO . BENEMEREN
TI . FECIT

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 24. pag. 349., ubi adnotat, de significatione vocis *Alumni* longam adversus Accursium in *l.* 1. *Cod. Quae res pign. oblig. poss.* instituere disputationem Iosephum Castalionem in calce suarum *Var. Lect.*, qui probat nempe, Alumnum nusquam pro *altore*, ut Accursius, nonnullique alii volunt, sed semper pro eo, qui alitur, accipi debere; quod nescire se dicit Fabrettius, an feliciter exsequatur. Illud tamen dicit, ad legalem illius textus intelligentiam parum melius Accursio se gessisse; veriusque ratiocinatum Lipsium Epist. VIII. Cent. I. ad Belgas, quinam sint proprie Alumni, de quibus Impp. Severus, & Antoninus in ea lege loquuntur: ii scilicet, qui a parentibus inhumaniter abiecti, ferisque, & avibus expositi a praetereuntibus tralatitia humanitate sublati, atque educati reperiebantur; quod praecipue ex Plinii Epist. 71. ad Traianum Lib. X., & Caesaris ad eum responsione colligitur. Hoc tamen in iis, qui servi vocantur, vel servilia nomina retinent, aut altorem in Patronum agnoscunt, haud aegre admittit Fabrettius. In horum numerum cadit haec nostra inscriptio. Sed Fabrettio quaestionem de Alumno pro altore usurpato pene intactam renliquenti iuvat nonnulla nunc addere. Exstat in Delicio Albanio extra Portam Salariam inscriptio, quam ponit TERENTIAE . P. F. ASIATICAE . P. TERENTIVS . QVIETVS . ALVMN, quamque edidit laudatus saepius Caietanus Marinius in Tom. VI. Diarii Pisani pag. 265. Cum enim *P. Terentius Quietus*, qui *Alumnus* inscribitur, *senectam* suam *tristem fecisse* Parcas lamentetur subsequentibus versibus ob *Terentiae Asiaticae* acerbum funus, quam suam *Alumnam* dein in iisdem versibus insuper salutat, facile coniicitur, ipsum altorem fuisse, Terentiam vero ab eo altam puellam, quam quidem a sene educatam non aegre quis agnoscat, quamque proinde etiam *Alumnam* hoc nomine, dum & se *Alumnum* prodit, appellare non dubitat, Latino idiomate non repugnante. Exstat etiam nunc in aedibus Franc. Xaverii Zeladae S. R. E. Card. amplissimi Cippus anecdotus, atque ita inscriptus:

D. O. M
PLAVTIO . GNATIO
ALVMNO . DVLCISSIMO
GRATISSIMO
SVAVISSIMO
CARISSIMO
PLAVTIVS . FILIVS
IVLIANVS . D. C

Si illud D. O. M Christianismum redolens, si tot epitheta superlativa, quae antiquitatem iisdem parcen-

ce utentem sapiunt, tum etiam vox FILIVS inter nomen, & cognomen non bene locata inter spuria hunc titulum ablegandum non suadent, facile hinc etiam argueretur, Alumnum pro altore usurpatum quandoque fuisse. Ceterum altor etiam *educator* dictus est; cum apud Fabrettium Cap. IV. n. 488. pag. 330. habeatur *Aura*, & *Chrysis Educatores* parentantes *Didio Thremmatio Alumno*.

(13)

M. VARENO . MACARIANO
PATRONO . BENEMERENTI
M. M. M. VARENI
PASIPHILVS . ET . HERMADIO
ET . ONESIMVS . LIBERTI
POSVERVNT

Retulit ex Ursinianis Gruterius pag. 1045. n. 9., qui ponit *Romae in urna depositoria apud Matthaeios*.

(14)

L. CAESONIO
L. F. ANI . VERO
FLAVOS . L. H

Retulit Gudius pag. 316. n. 16., & Fabrettius Cap. X. n. 351. pag. 714. Apparet, *Libertum Heredem*, ut postremae siglae designant, heic patrono parentare.

(15)

Tab. LXXIII.

FIG. IV.

A . CORNELIVS . APRILIS
CORNELIAE . NYMPHE
PATRONAE . OPTVMAE
ET VALBANE CATELLE
B. M. F

Retulit Reinesius Class. XVIII. n. 14. pag. 869., qui ponit *in horto Ill. Card. Matthaei*, sed Volcammerus non eam exacte descripsit; tum Gudius pag. 343. n. 4., qui locat *in hortis Burghesianis ad Portam Pinciam*, & Muratorius pag. 1532. n. 5. e schedis Ptolomaeis, sed non omnino emendate. Franciscus Heisselius ad Indicem Gudianum Cap. XXIII. pag. LXXVIII. ait: *Accipio potius de cane, quam de homine. Vid. A. Cornelius Aprilis*. Verum Caput hoc Indicis deficit in *Claudius*, nec promissum complementum umquam prodiit. Nomen femina (quod servile fuisse videtur, & a Marmorario oblitum dein aegre insertum videas Fig. IV. Tab. LXXIII., ubi ad fidem marmoris exprimi curavimus) ab animalculo quaesitum censeo. Nullum certe dubium est, Christianis olim nomen saepe a brutis petitum fuisse, quo, ut ait Cl. Eques Franciscus Victorius ὁ μακαρίτης *Dissert. apolog.* pag. 22., *humilitatis, & patientiae exemplar sibi proponere in mente habebant ad Christum prototypum respicientes*. Hinc *Asellicus* apud Marangonium *Appendic. ad acta S. Victorini* pag. 83., *Asellus* pag. 117., *Asellica* pag. 106., *Asella* pag. 120. (cui respondet *Hunagra* apud Fabrettium Cap. X. n. 503. pag. 740.) *Ursa* pag. 112., *Ursus* pag. 119., *Tigris* apud Lupium *Epitaph. Severae* §. XIV. pag. 133., ut haec, & his similia nunc praeteream, quae occurrunt apud laudatos Fabrettium *Inscript.* Cap. VIII. pag. 586., & Lupium *cit. Epitaph.* §. XVIII. adnot. (1) pag. 185., tum apud Dominicum M. Mannium, ubi de Christianae Religionis principiis in Civitate Florentiae, Lib. I. Cap. XIV. pag. 44., e seqq.

(16)

D . M
C. VEIANO . MO
SCHO . FECIT
VEIANA . ARIA
DNE . PATRONO
B. M. VIX. AN. LXXX
D. XXX. HOR. I

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 379. pag. 181., ut ostendat, horarum enumerationem non solum tenerae aetati praecipue convenire, ut antea Cap. II. pag. 96. dixerat, sed etiam in senio, & in ultima, exactaque aetate adhiberi: quod & nos superius Sect. VII. n. 4. pag. 125. adnotavimus.

(17)

D. M. L. CATIO . PRISCO
VIXIT . ANN. XXX
CATIA . LAMYRA . PATRONO
ISDEM . CONIVGI . CARISSI
BENEMERENTI
FECIT

Re-

Retulit Gruterius e Mazochio incorrecte pag. 1045. n. 5., qui ponit *Romae in domo Tamarozii*, & Fabrettius Cap. IV. n. 238. pag. 293. De herili affectu in maritalem societatem coalescente, & de formula ISDEM. CONIVGI in inscriptionibus non infrequenti diximus superius Sect. IX. n. 38. pag. 137.

(18)

VSTIA . P. L. HELENA
FECIT . SIBI . ET
P. VSTIO . EROTI
PATRONO . ET
P. ANINIO . ICARO
CONIVGI . ET
ESTIAE . HELENAE
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . EORVM

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 495. pag. 657. inter nomina gentilitia a Gruterio omissa.

(19)

D. M
P. MINDIO . EPAPHRODITO
FECIT . MINDIA . KHARIS
LIB. PATRONO . B. M. ET . SIBI
ET . SVIS . LIB. LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 325. pag. 711.

(20)

. . . .
Q. VOLCASIVS
HERMES
PATRONAE . B. M
F

Retulit ex Apiano Gruterius pag. 958. n. 8., qui ponit *Romae apud Matthaeios*.

(21)

LVCRETIA . C. C. L
FAVSTA . ET
PHOENIX . VERNA
ET . PLOCE . SOROR

Retulit Muratorius pag. 1703. n. 6. e schedis Ptolomaeis. Exstat in urna quadrata cum operculo; in cuius quatuor superioribus angulis quatuor arietum capita habentur, & ab utroque latere folia hederae, sub epigraphe vero baccae.

(22)

. . . . . VDIVS . AVG. L. DALVS (sic)
FECIT . MOSCHO . L. ET
VERNAE . SVO . ET . DELICIO
VIXIT . ANNIS . V . . . . . .

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 242. pag. 43., ut ostendat in voce DELICIO exemplar solemnium tenerae aetatis blanditiarum.

(23)

D. M
LAMPROTYCHE
EVPREPETI
VERNAE . SVO
FECIT . QVI . VIX
A. XII. M. V. D. XIII

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 126. pag. 367., ut homonymum istud servile nomen EVPREPETIS sociaret ingenti saxo ad viam Flaminiam prope pontem Metauri ante praedium Ferdinandi Ceccarelli Forosempronienfis, cuius munere ingressum fui Musei prae foribus saxum illud custodiebat; in quo simili officio Verna *Euprepes* a Calpurnia Domina sua honoratur.

(24)

COMMVNIO . VERNA
ANTONIAE . AVGVSTAE
V. A. II. MES. X
COLLACTEVS . DRVSI
BLANDI . F

Retulit Pignorius *Commentar. de Servis* Cap. XX. pag. mihi 188., Reinesius Class. IX. n. 16. pag. 155., tamquam a Pignorio visam, & descriptam a Bartholino, tum Fabrettius Cap. VI. n. 154. pag. 484. Monuimus superius Sect. VI. n. 5. pag. 117. post Fabrettium, tum & Pignorium, *Collacteum* idem esse, ac *Collactaneum*. Rubellii Drusi stemma a Tiberio proavo deducit Reinesius; fuit quippe filius Rubellii Blandi, Tiberii progeneri,

neri, ut eum Tacitus vocat *Annal.* Lib. VI. cap. 45., viri scilicet Iuliae Drusi filiae, ut paullo ante cap. 27. dictum fuerat.

(25)

TROILVS
PVER
VIXI. AN. XIII

Retulit Gudius pag. 333. n. 13. Vid. superius n. 2. pag. 150., ubi *puerum* idem esse, ac *servum* monuimus.

(26)

TI. CL. ERMOCEN. QVI. VIXIT. ANN. IIII
M. X. D. XI. F. CAT. THODOTE. ET
CASTVS. SPECTATVS. ALV. BE
ME

Retulit Gudius pag. 301. n. 5. Vid. superius n. 12. pag. 152., ubi Alumnum de servo intelligi debere ostendimus, cum servilia nomina, ut heic, occurrunt.

(27)

TAB. LXV.

FIG. I.

DIS. MANIBVS
FVLVANO. ARCII

Retulit Gudius pag. 321. n. 8., & Muratorius pag. 1779. n. 24., qui FVLVANI habet pro FVLVANO.

(28)

	D. M THALLO ACTES. N̄. SER FEC. DIADVME ET. HOCION. ET PHILETVS. CONS

Retulit Sponius Sect. VI. pag. 212., qui habet THALLVS pro THALLO, & Fabrettius Cap. I. n. 298. pag. 52., ac denuo Cap. III. n. 34. pag. 125., qui hoc loco lineae 4. initio habet insuper CVB, nempe *Cubiculario*, & variat aliquantisper lin. ult. De titulis vacuis iam superius Sect. IX. n. 26. pag. 135., ac n. 37. pag. 137., tum Sect. X. n. 13. pag. 142. dictum a nobis est. De Acte Neronis concubina pariter superius disseruimus Sect. VI. n. 16. pag. 121. Vid. & Sect. IX. n. 33. pag. 136. Linea ultima lege CONS*ervi*.

(29)

D. M AGATOPO ACTES. N. S FELICVLA CONIVX B. M. F V. A. XXXVIII	D. M CLAVDIAE ET. PRIMITIVAE TI. CLAVDIVS ABASCANTVS CONIVGI. BENE MERENTI

Retulit Maffeius post *Mus. Veron.* pag. 268. n. 4. Unus lapis duos titulos exhibet. De Acte num. superiore.

(30)

	D. M TROPHIMO. VEST V. A. XXXV ELEVTHERIS CONT. B. M. CONS

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 301. pag. 52. Heic titulus alter vacuus, de quo num. superiore. VEST*iarius* is erat, qui vestem curabat, & de quo vide Pignorium *de Servis* Cap. XIV. pag. mihi 105. De Contubernali vid. hac Sect. n. 8. pag. 151.

(31)

ASPECTVS TERTVLLAE AFRI. DISP NEPRIS. CON D. S. F	P. CERVONIVS P. F. CLA FIRMVS V. A. IIII

Retulit Gudius pag. 353. n. 2., & Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 938. n. 9., qui pro NEPRIS habet NEBRIS. Dispensator fuit actor secundarum in familia, qui Graecis οἰκονόμος dictus est, & de quo Pignorius loc. cit. Cap. XVIII. pag. m. 250. Vel CON*tubernalis*, vel CON*serva* heic censenda est.

D. M

(32)

D. M
ACATHOPO
CAES. N̄. SER
MACEDONIA
CAES. N̄. CON
IVGI. SVO. B. M
(sic)
FET. ET. VICTORI
NVS. FIL. PATRI. KAR

Retulit Gudius pag. 190. n. 5.

(33)

EVXINVS
CAESARIS. SER
VIXIT. ANN. XXXV

Retulit Gudius pag. 196. n. 12.

(34)

D. M
FELICI
SERBONAI
GERMANVS. V
IX. ANN. XXXXV
VERVS. CONSER
VVS. B. M. F

Retulit Muratorius pag. 1582. n. 8. e schedis Ptolomaeis.

(35)

Tab. LVIII.

FIG. VI.

ATHALIO
ABASCANTI
AVG. LIB
AB. EPISTVLIS
LIB

Retulit Gruterius pag. 587. n. 5. ex Ursini schedis, ac lin. 1. legit THALLO pro ATHALIO, ut oculata manu nos excepimus. Abascanti nomen AB. EPISTVLIS. L. L, idest *Latinis*, non ut habet Scaliger *Liberto Augusti*, rursus occurrit in alia inscriptione, quam refert Ursinius *Imagin. vir. illust.* pag. 101., tum Gruterius ipse pag. 586. n. 4., & ex eo Fabrettius Cap. IV. n. 29. pag. 249., & de qua sic ait ad pag. 321. ,, Quamvis Abascantum ,, istum inter libertos incerti domini percensuerim, ,, & ipsi tamen, & domino nomen, praenomen- ,, que supplere me posse existimo, ut Titum Fla- ,, vium Abascantum vocare non dubitem, tum ex ,, munere *ab Epistulis* Augusti, nempe Domitiani, ,, de quo Statius *Silv.* Lib. V. Silv. I. &c. Neque ,, de praenomine Domitiani, quod eius quoque li- ,, berto congruere debebat, ambigi potest, quia ,, Titus ipse quoque vocatus, quamvis eo non le- ,, gatur usus, ut ex nummo Graeco probat Ru- ,, pertus in *Observ. ad Synops. Besold.* ,, Alteram hanc inscriptionem refert etiam Muratorius pag. 917. n. 2., qui pro figlis. L. L habet LAT., atque ex hac Abascantum inter veteres Secretarios recensuit Zaccherius in Bibliotheca veteri, & recenti historiae litterariae Tom. III. Semest. I. Par. II. Sect. I. art. III. pag. 182. Hortorum Matthaeiorum inscriptionem oculis nostris subreptam, dum in Sect. V. officia domus Augustae redigeremus, heic nunc loco non alieno recensuimus. LIB, quod ad calcem legitur, *Librarium* prodit, qui nempe & *Antiquarius* dictus est, is nempe, qui libris arborum, sive dedolatis e ligno codicillis, aut corticibus, ante usum chartae, & membranarum scribebat. Vid. Pignorium *Comment. de Servis Cap.* XV. pag. m. 113.

(36)

Tab. LXXIII.

FIG. VI.

D. M
T. FLAVI. AVG. LIB
ZMARAGDI

Retulit Malvasia post *Marm. Felsin.* Sect. VII. pag. 422., Fabrettius Cap. X. n. 261. pag. 705., Gudius pag. 329. n. 3., & Muratorius pag. 1002. n. 7., ast culpa eius, qui misit, non exacte.

(37)

TI. IVLIVS. AVG. ET. I
AVG. L. ATHENIO
VIX. ANN. L

Retulit Fabrettius Cap. X. n. 361. pag. 714., qui exstare ait in lapide nigro, & Gudius pag. 199. n. 4.

n. 4. Sigla I, quae in prima linea est, quaeque apud Gudium L signatur, Fabrettius Iuliae nomen putat praeseferri, eius nempe, quae & Livia Drusilla Augusti Tiberii mater, ante viri obitum dicebatur. De Iuliae nomine post Augusti Caesaris obitum a Livia adscito consule Clarifs. Corsinium in Epistola ad eruditissimum Trombellium de eius Graeco nummo, Bononiae cusa anno CIƆIƆCCLXVI. pag. X., & seq. Ast Iohannes Koolius ad Cap. XXI. Indicis Gudiani pag. XLVII. haec subdit: „ Habet Fabrettius X. 361., sed pro L habet I. Vix „ dubito, quin hic evanescat Fabretti acumen ad „ hanc inscriptionem, existimantis ex ea quoque „ probari posse, Liviam Augustam Tiberii matrem „ post viri mortem Iuliam dictam: Nam illud L in- „ solitae magnitudinis, quod notavit Gudius, „ certe non I solitae magnitudinis in lapide fuis- „ se, mihi persuadeo. Cur enim Gudius notam il- „ lam sic addidit, nisi ut nos moneret reperiri in „ lapide, & ne quis, cui ostendere posset illud „ L, crederet se parum diligenter in hac re ver- „ satum fuisse? Kool. in notis. Praetereo Dionem „ in extremo Lib. LVI. Tacitus quidem Ann. Lib. I. „ sic: *Nihil primo Senatus die agi passus* (Ti- „ berius), *nisi de supremis Augusti, cuius testa-* „ *mentum inlatum per virgines Vestae, Tiberium,* „ *& Liviam heredes habuit. Livia in familiam* „ *Iuliam, nomenque Augustae adsumebatur.* Ex „ quo Livia est appellata Iulia Augusta. *Hesse-* „ *lius*. Non multos esse locos scriptorum, in qui- „ bus illa sic nominata sit, advertit Casaubonus „ ad Sveton. in vit. Aug. in extremo. „

(38)

TI. CLAVDIVS
AVG. L. THEODOTVS
VIX. ANNOS. L

Retulit Gudius pag. 195. n. 7.

(39)

TAB. LXXI.
FIG. III.

OSSA
Q. VITELLI. QA. L. ARETIS

Retulit Reinesius Class. XVII. n. 133., qui punctum collocat inter Q, & A, & trium linearum epigraphem conficit contra fidem autographi, tum Muratorius ex schedis Ptolomaeis pag. 1766. n. 13., qui punctum pariter inter laudatas litteras inducit. Praeterea Reinesius haec adnotat: „ Vixit Volcam- „ merus *Med. Norimberg.* Cognomen huius Vi- „ tellii, duorum, Quinti, & Auli Vitelliorum „ Liberti, Ἄρης, id est *Mars*, nuspiam praete- „ rea legi memini, nec ideo tamen reiecero. Ma- „ gis tamen arridet Daretem fuisse. Est enim no- „ tum hoc e Virgilio, & 5. CCCXXXIX., ubi „ M. Vipsanius Dares., „ Serpentis, parastatarum, & ianuarum ornatus, qui in parte anteriori est, ut Fig. III. Tab. LXXI., in lateralibus etiam habetur. Superne vero Urna haec quasi tegulis obducitur instar tegminis aedium; quod animadvertit etiam Ficoronius in eius opere de Roma recenti pag. 68., & seq. De ianuis diximus superius Sect. IX. n. 14. pag. 131. Urna haec subrepta fuit mense martio anni CIƆIƆCCLXV., ast dein redempta cessit tandem Museo Clementino Vaticano.

(40)

A. PINARIVS. A. L. ANTEROS. OPPIA. Ɔ. L. MYRSINE

Retulit Sponius *Miscell. erud. antiq.* Sect. II. art. IX. pag. 44., qui adponit Capitulum hoc, epigraphe, & duabus imaginibus insignitum, super Sarcophagum Musarum, quem adduximus hoc ipso Volumine Class. II. Tab. XVI., & XVII. pag. 26., & cum quo nil commune habet, ut ibidem monuimus; etsi Sponius congruum aliquid deprehendere studeat.

(41)

L. TAMPIO. L. L. TAMPIA. L. L

Retulimus Volumine II. horum Monumentorum Tab. LV. Fig. II. pag. 73., ubi consule.

(42)

C. LVCIVS. Ɔ. L. CHARES
VIXS. ANN. XX. FIL. C. ANNIVS
PRIAMVS. VIXS. ANN. XXXVII
CLARA. DELICIVM. VIXS. ANN. IV

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 250. pag. 44., ut ostendat etiam femellas *delicium* vocari solitas fuisse.

L. LV-

(43)

L. LVCANIVS. L. L. ALYPVS. CVRATOR. QVINQ
DAT DAT
M. OBELLIO M. Ͻ. L M. OBELLIO M Ͻ. L
SECVNDIONI TERTIO

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 61. pag. 71., ac contendit oſtendere DAT., vel DEDIT non dedicationem inducere, ſed ibi ſubintelligi *locum ſepulturae*, ac proinde huiuſmodi verbum ad emortualia eſſe trahendum, quandocumque in funeribus hoc ſenſu adhiberi ſolet. Exſtat in Ambulacro Vaticano duplex exemplar, in quorum uno deſunt nomina libertorum, quibus ollae dantur.

(44)

M. PINNIVS. M. L. SVRVS
F. S. ET · PINNIAE. RESTITVTAE
BENE. MERENTI. ET
LIB. LIBERT
PTR. EOR
ITEM. COERANA
PINNIORVM

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 306. pag. 166., ut ex notis quibuſdam (nempe PTR. EOR. *Poſteris. Eorum* lin. 6.) ſaeculi barbariem arguat; nam extra veterem praxim unica tantum in vocabulo, eaque initialis littera apponebatur, ut frequentiſſime occurrit, & ut in noſtra etiam advertere licet.

(45)

DIIS. MANIBVS
HELIO
ACTES. AVG. L
LIBERTO
A. CVBICVLO

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 29. pag. 125. Actes Neronis concubina iam ſuperius pluries occurrit, ac de ea diximus Sect. VI. n. 13. pag. 121. Liberti ad corpus tuendum erant praepoſiti, deſtinatique, uti praeter Herodianum, qui Cleandrum Commodi Imp. libertum (Lib. I. cap. 12.) τήν τε τοῦ σώματος φρουρὰν, καὶ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν, *& corporis cuſtodiam, & cubiculi curam* obtinuiſſe memorat, lapides etiam innuunt hoc munere ipſos functos fuiſſe ſub aliis Auguſtis, quorum tres refert Blaſius Caryophilus *de antiquis marmoribus* Diſſert. III. pag. 105.

(46)

D. M
TI. CLAVDIVS
CRESCENS
ACTES. L. CVRSOR
MVSAE. LIB
IDEM. COIVGI. B. M
FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS
V. A. XXII

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 30. pag. 125. Exſtat nunc in Ambulacro Vaticano.

(47)

D. M. S
CL. FELICI
EVNVCO
ACT. LIB
V. A. L
LIB. P. B. M

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 31. pag. 125., & Muratorius ex ſchedis Ptolomaeis pag. 1656., n. 15., qui lin. 3. legit EVNVCHO, lin. 4. ACI, lin. 5. VAL, ſed male. Habetur nunc in Ambulacro Vaticano. Eunuchus curabat, & cuſtodiebat matronarum thalamos, crines pectebat, aquam lavantibus geſtabat, ventulum faciebat dormientibus, & cingebat latus incedentibus per urbem. Conſule Pignorium *de Servis* Cap. XX. pag. m. 178. Verum quis non indoleat etiam num, fide, ac ratione ita inclareſcente, hominum eviratione tamquam e ſua dignitate naturam deiici, & honoris gradu multari? Id Nicaeni Patres in Origenis exemplo improbarunt, & Ambroſius Mediolanenſium Antiſtes (*Hexaëmer*. Lib. V. Cap. 3. n. 9.) ſic in hoc ipſum mollitiae genus acriter invehitur. *Tollis homini, quod natus eſt, & virum de vivo exſuis, abſciſſaque corporis parte, ſexum negas, ſpadonem efficis, ut quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.*

(48)

DIS. MAN
BVLIMIONI. LIB
CLAVDIAE. ACTES
FECIT. DIONYSIA
COIVGI. B. M
VIX. A. XL

Retu-

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 35. pag. 125., & Maffeius pag. 267. n. 5., qui lin. 2. habet L tantum pro LIB.

(49)

D. M	D. M
TI. CLAVDIO	TI. CLAVDIVS
CRISPO. ACT. N̄. L	CRISPVS. ACT. N̄. L
PHOEBE. LIBERTA	ET. PHOEBE. MATER
CONIVGI. B. M	FORTVNATO. FILIO
FECIT. V. A. XXXV	FECER. Q. V. A. XV
	MEN. V

Retulit Fabrettius Cap. II. num. 36. pag. 125.

(50)

T. CAESTENI. T. L
CARPI

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 91. pag. 611., Heiffellius pag. CI. in Indice Gudiano, & Maffeius pag. 268. n. 2.

(51)

SEX. AVONIVS. SEX. L
PAMPHILVS
SEX. AVONIVS. SEX. F
RVFVS. VIXIT. A. XIV
AVONIA. SEX. L. MOSCHIS
V. AVONIVS. EROS. L
V. SEX. AVONIVS. PHILEROS

Retulit Sponius Sect. VII. pag. 246. n. 7. Vid. quae superius diximus Sect. X. n. 18. pag. 143. de sigla V, qua VIVVS innuitur.

(52)

Q. VENTILI	VENTILIA
Ɔ. L. V. A. LXX	Q. F
EPAPHRODITI	POLLA. V. A. XXV

Retulit Gudius pag. 246. n. 10.

(53)

SEX. ACILIVS	SEX. ACILI
SEX. L	SEX. F
NASTA	SEVEVRVS

Retulit Gudius pag. 313. n. 7.

(54)

SEX. APPVLEIVS
SEX. L. HILARVS

Retulit Gudius pag. 315. n. 5., qui ait exstare in lapide caeruleo.

(55)

ASBESTVS. C. VESIDIO
AN. III. Ɔ. L. POTHO

Retulit Gudius pag. 315. n. 13.

(56)

L. GEGANIVS. Ɔ. L
IANVARIVS
VIXIT. ANNOS. DVO

Retulit Gudius pag. 321. n. 20.

(57)

C. IVLIVS
C. L. DYMO

Retulit Gudius pag. 322. n. 21.

(58)

C. SEMPRONIVS
C. L. PLOCAMVS
CALLITYCHE

Retulit Gudius pag. 331. n. 3.

(59)

A. VALERIVS. A. L	DOMITIA. Ɔ. L
THRAECIDA	THEOPHILA

Retulit Gudius pag. 334. n. 8.

(60)

D. M
M. COPONIO
ATIMETO. CO
PONIA. CLARA
COLIBERTO. OPT
IMO. B. M

Retulit Gudius pag. 355. n. 6.

L. GE-

(61)

L. GELLIVS . L. L. EROS
BENAE . Ↄ . L. STRA

Retulit Gudius pag. 357. n. 7.

(62)

C . IVLIVS	C . IVLIVS
C . L	C . L
HITVS	NICEPHOR

Retulit Gudius pag. 357. n. 16.

(63)

T. PINIVS . T . L
ANTEROS
PINNIA . T . L. HILARA

Retulit Gudius pag. 360. n. 18.

(64)

D . XIIX
P . SERVILIVS . P . L . EROS
FVFICVLENA . Q. L . PRIMA

Retulit Gudius pag. 362. n. 5.

(65)

C. VALERIVS . C . L
NICA
VALERIA . C . C . L
ITALIA
IN . FR. P. XIV. IN . AGR. P. XII

Retulit Gudius pag. 363. n. 6.

(66)

. . . . VN . CLODI . P . L
DIONYSI
. . . . . VN . CLODIA . P . L . RVFA
. . . . . VN . CLODIA . P . L . STABILIS
SIBEI . ET . LIBERTEIS . ET
LEIBERTABVS
IN . FR . P. XII . IN . P . XIII

Retulit Isidorus Blanchius Monachus Camaldulensis in eius Epistola ad Iohannem Lamium, quae edita est in Ephemeridibus litterariis Florentinis ann. CIƆIƆCCLXV. fol. 22. col. 342. sub num. XXII., ubi ait hanc inscriptionem a se visam esse in remotissimo recessu Hortorum Matthaeiorum, quos tamen cum nos naviter, & curiose nimis lustraverimus, nihil huiusmodi vidimus.

(67)

TAB. LVIII.
FIG. III.

D . M
SESTILIA
D . L
SECVNDA

Retulit Muratorius pag. 1745. n. 15. e schedis Ptolomaeis, sed non omnino emendate. Operculum ad aliam Vrnam pertinuit, ut proinde non mireris D . M in eius fronte etiam reperiri.

(68)

TAB. LXVIII.
FIG. II.

DIS . MANIBVS
FABIAE . T . L
FELICVLAE

Retulit Gudius pag. 356. n. 9., & Muratorius pag. 1671. n. 14. e schedis Ptolomaeis.

(69)

TAB. LXV.
FIG. IV.

LEPIDIA . M . Ↄ . L	M . LEPIDIVS
PRIVATA	EPIGONVS
VIXIT . ANN . XV	

Retulit Gudius pag. 358. n. 9., & Muratorius pag. 1476. n. 10. ex apographo P. Scarmagli Cassinensis, & rursus e schedis Ptolomaeis pag. 1699. n. 14., sed parum accurate utrobique.

CAL-

(70)

	CALPVRNIA M . L CLVMENE

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 297. pag. 52., & Muratorius pag. 1650. n. 1. e ſchedis Ptolomaeis. De vacuis ſpatiis, quae relinquebantur in titulis, vide ſuperius Sect. IX. n. 37. pag. 137.

(71)

L. TONGILIVS . CLARVS
TONGILIA . L . L . NICE

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 440. pag. 651. inter gentilitia nomina, quorum Gruterius non meminit.

(72)

FVLVIA
Q . ET . Ↄ . L
VRBANA

Retulit Gudius pag. 371. n. 10.

(73)

P. IVLIVS . PHILOMVSVS
IVLIA . P . L . FLORA

Retulit Gudius pag. 313. n. 7.

(74)

LYPVS . CVR. QVINQ
DAT
TVLGINIAE . P . L
FAVSTAE

Retulit Gudius pag. 324. n. 21. Non alius hic LYPVS videtur, quam L. LVCANIVS . L. L. ALYPVS, qui ſuperius num. 43. pag. 158. ollas dat duobus aliis Libertis.

(75)

PAPINIA . Ↄ . L
ATHENAIS

Retulit Gudius pag. 327. n. 17.

(76)

PLVTIA . Q. L AMME — PLVTIA . Q. L MA

Retulit Gudius pag. 328. n. 16.

(77)

SCANTIA
C. L. AVGE

C. SCANTIVS
C. L. PHILODAMVS

Retulit Gudius pag. 330. n. 16.

(78)

VOLVMNIA
T . L
HELENA

Retulit Gudius pag. 336. n. 3.

(79)

APONIA
L . L
HORME

L . APONIVS
L . L
ANTHVS

Retulit Gudius pag. 352. n. 11.

(80)

DIGITIA . D . L
SECVNDA
SECVNDIO . DIGITI
DE . SVO . FECIT

Retulit Gudius pag. 355. n. 6.

(81)

DOMITIA . CN . L
CHARMOSINE

CN. DOMITIVS
SPERATVS

Retulit Gudius pag. 356. n. 1., & Muratorius pag. 1657. n. 10. e ſchedis Ptolomaeis.

(82)

IVLIA
ZOIS

PLAETORIA . Ↄ . L
HESPERIS

Retulit Gudius pag. 358. n. 1.

LA-

(83)

LABERIA
L. L
PRIMA



L. LABER
L. L
ASCLEPIAD

Retulit Gudius pag. 358. n. 6.

(84)

V. MANNIVS . POSTIMAE . L
STABILIO . SIBI . ET
DAMITIAE . L. L. PROPOLIENI
VIX. AN. XXIIX.

Retulit Gudius pag. 359. n. 8. De sigla V., qua *Vivus* indicatur, consule superius Sect. X. n. 18. pag. 143., & alibi.

(85)

M. SAVFEIVS
M. F. COL
BASSVS
VIX. ANN. XXIV

SAVFEIA
M. L
AMMIA

Retulit Gudius pag. 362. n. 3.

(86)

C. TROLVS . PHILARGVRVS
TROLIA . C. Ɔ. L. HEDONE

Retulit Gudius pag. 363. n. 2.

(87)

NEVIAE . M. L
ANTONIAE . RVFINAE . C. M. F

Retulit Malvasia Sect. VIII. Cap. VI. pag. 488., qui ponit *Romae in vinea Matthaeiorum*. Sed iam gaudet animus finem imposuisse eorum titulis, qui veterum gentium infelicitatem, humanae naturae abiectionem, servitutem nempe praeseferunt, qua homines afflicti, & sibi, & aliis invisi deterioribus moribus se mancipabant, & praeclare gestis impares, atque etiam infesti efficiebantur. Christianae religioni praesertim accepta referri debet tantae indignitatis desuetudo, cuius si quid est reliquum alicubi, omnimoda extinctio ab humanitatis sensibus, qui nunc Philosophia facem praeferente obtinuerunt, speranda certè est.

SECTIO XIII.
MISCELLANEA.

(1)

TAB. LXXI.
FIG. II.

C. IVLIVS
HERMAISCVS
VIX. ANN. XXI.

Retulit Gudius pag. 323. n. 2., & Muratorius pag. 1695. n. 3. e schedis Ptolomaeis.

(2)

TAB. LXI.
FIG. II.

OSSA
L. ANTONI
FELICIS

Retulit Gudius pag. 314. n. 21., & Muratorius pag. 1634. n. 10. e schedis Ptolomaeis.

(3)

D . M
ET
CINERIBVS . Q. C
P . F

Retulit Reinesius Class. XVII. num. 101. pag. 844., quam vidisse dicit Bartholinium, & Maffeius post *Mus. Veron.* pag. 278. n. 3.

D. M

(4)

D . M
ET
CINERIBVS . T . P
A . G

Retulit Gudius pag. 337. n. 16., qui etiam ſuperius attulerat pag. 292. n. 2. ad inſcriptionis Florentinae illuſtrationem, tum Fabrettius Cap. I. n. 98. pag. 22., qui adduxit inter alia monumenta, quae poſtumae famae neglectum inducunt ob notas, aut nominum compendia, quae habent. Urna, cui haec inſcripta ſunt, inſervit fonti domus Cuſtodis Hortorum Matthaeiorum.

(5)

D . M
C. MINICIVS
GELASINVS
SIBI . POSVIT

Retulit Fabrettius Cap. II. n. 121. pag. 82., qui ait duos pueros luctantes, totidemque Genios adſtantes heic haberi; addo ego urceolos partim erectos, partim iacentes, & corollam. Hac inſcriptione utitur Fabrettius, ut probet, Manes eſſe Numina Inferna, quibus *addictae*, ideſt *devotae*, vel *obnoxiae*, ut Nonius explicat, animae morte obita credebantur, quod adeo verum eſt, ut etiam in humanis agentes, ſibique tumulos, aut titulos ponentes eos Diis Manibus dicarent.

(6)

TAB. LXXIII.

F I G. I I I.

RVBRIA . PRIMA
ALBANIENSIS
P. RVBRIVS . REVTILIS
AMICE . HAVE . ET
VALE . EGO . HIC
SITVS . SVM

Retulit Sponius Sect. V. pag. 155., & Fabrettius Cap. III. n. 20. pag. 122., ſed non omnino ad marmoris fidem. Sponius vero haec adnotat: „ Dubitari non poteſt, an Albanieſis, ſive Albanienſis dicta fuerit Rubria Prima ab Albano „ loco prope Romam, ubi ſacrificia Iovi Latiali „ peragebantur, qui & *Albano* hodie, an ab Albana provincia Macedoniae, a qua melius derivatur *Albanienſis*. Verum prius, ni fallor, „ praeferri debet, eo quod ſi fuiſſet mulier iſta „ ex Macedonia, Graecum fuiſſet epitaphium. „ Melius dixiſſet, Graeca, non Latina nomina geſtaſſet. De HAVE cum aſpiratione expreſſo diximus ſuperius Sect. X. num. 33. pag. 145.

(7)

TAB. LXV.

F I G. V.

D . M
HOC . IACET
LVCIAE

Nullibi hanc inſcriptionem editam deprehendi. De ianuis Ditis dixi ſuperius Sect. IX. n. 14. pag. 131., & alibi.

(8)

TAB. LXVIII.

F I G. V.

D . M
NVMI
SIAE
PRIMI
GEMI
Æ

Retulit Maffeius poſt *Muſeum Veron.* pag. 267. num. 5.

(9)

TAB. LXVIII.

F I G. I I I.

Q. LAFLIVS
PRIMIGENIVS
VIX. ANNIS . XX

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 233. pag. 627., & Muratorius pag. 1698. n. 9. e ſchedis Ptolomaeis, qui LAELIVS potius legendum putat; quod

quod si esset, *Lasliam* gentem Grutero ignotam male proposuisset Fabrettius, qui etiam male habet PRIMVS pro PRIMIGENIVS.

(10)

Tab. LXVIII.

FIG. IV.

M. CLAVDI

Exiguam hanc epigraphem nemo referendam putavit.

(11)

D. M. S
Q. CVRIATI
ZOSIMI

Retulit Gudius pag. 319. n. 2., qui male ZOSINI habet, & Muratorius pag. 1665. n. 4. e schedis Ptolomaeis. Exstat haec inscriptio in Urna quadrata cum operculo, cui adstant duo delphini, & in cuius angulis ad frontem duo capita Gorgonis; in medio corolla, cui manus admovent duae Nereides muliebri forma superne donatae, inferne in piscem abeuntes, quas male quis ex praeconcepta vulgi opinione Sirenes censeret, quae, monente Fabrettio *in addendis ad Tabellam Iliadis*, & Antonio Silla, ubi de fundatione Pathenopes Cap. III. pag. 51., caput, corpus, manus mulierum praeferebant, alis instruebantur, & crura, ac pedes avium habebant; quod etiam ex adductis ab ipsis veteribus monumentis cognoscere licet. Urna vero ad quatuor angulos ornatur columnis striatis & ordine Dorico, iuxta quas assurgunt duae praegrandes spicae triticeae, ac tandem sub epigraphe cernitur porta quatuor anulis in totidem loculis instructa. Ianuas Ditis tot vicibus a nobis illustratas monuimus, ut nihil aliud nunc innuendum censeamus.

(12)

Tab. LXXI.

FIG. IV.

DIS . MANIBVS
CN. POMPEI
CN. F. IVSTI
V. A. XVI. M. VIIII

Retulit Gudius pag. 329. n. 10.; & Fabrettius Cap. X. n. 257. pag 705., at annorum, & mensium numero haud exacto. Quare heic Fabrettius ita subdit: „ Patrem huiusce infantis non „ absurde quis dixerit illum CN. POMPEIVM. „ IVSTVM, qui VALERIAE. LVCILLAE con„ iugi titulum posuit apud Gruter. pag. 837. n. „ 10. „ Infantem vocat, quia male eum natum AN. VI. legit, cum XVI. natus in marmore appareat.

(13)

Tab. LXIII.

FIG. II.

C. CLODIVS . APOLLINARIS
V. A. V. M. VI. D. VIII

DIS . MANIBVS
C. CLODIVS . C. F
PRIMITIVVS . VIXIT . ANN
XI. DIEBVS . XXV
C. CLODIVS . SECVNDVS
ET . CLODIO . PRIMA . F

Retulit Gudius pag. 301. n. 10., & Muratorius pag. 1659. n. 1. e schedis Ptolomaeis. Heic vide ianuas Ditis toties memoratas.

(14)

Tab. LXXII.

FIG. I.

DIS . MANIB
C. IVLI . SVCCESSI

Retulit Muratorius pag. 1779. n. 26. e schedis Ptolomaeis. Cippus defuncti imagine insignitus exstat nunc in Museo Clementino Vaticano.

(15)

T. CAMI
DENI . EV
TYCHI

Retulit Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 1650. n. 13. hac forma; Gudius vero pag. 319. n. 6. ita habet:

D.M

D. M.
DINIEV
TYCHE

Nos vero in Urna disrupta, ornata encarpo, duobus pueris adstantibus ad angulos, & ave sub epigraphe, haec dumtaxat excepimus.

. . . . . M . .
. . . . DENIEV
TYCHE

Sed de huiusmodi fragmentis parum laborare opus est.

(16)

TAB. LXII.

FIG. II.

P. FVNDANI . P. F. TER
VELINI

Retulit Fabrettius Cap. V. n. 196. pag. 380., & Maffeius post *Mus. Veron.* pag. 268. n. 1. Multis a fluminibus nomen quaesitum superius monuimus Sect. V. num. 3. pag. 114. Cippus hic ornatissimus Gorgonis capite, & Sphingibus, de quibus uno loco diximus Sect. IX. n. 14. pag. 132., migravit nunc in Museum Clementinum Vaticanum.

(17)

VALERIA . INPIRIA . SALLVSTIAE . GRAPTE . BEN. ME. FECIT

Retulit Gudius pag. 305. n. 6., & Fabrettius Cap. II. n. 32. pag. 68., sed uterque parum accurate. Inscriptio in orbem exarata est, in cuius medio cavitas cernitur quatuor foraminibus instructa, per quae libamina infundebantur. Apud Muratorium quinetiam pag. 438. n. 6. exstat alia epigraphe in orbem disposita, ex Margarinio petita. Nostra nunc cernitur in Ambulacro Aedium Vaticanarum.

(18)

TAB. LIX.

FIG. I.

DIIS
MANIBVS
QVINTVS
MVTIVS

Retulit Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 1715. n. 3., veluti exstantem *in Hortis Matthaeorum*, etsi tamen hic Cippus in Aedibus urbanis ad Circum Flaminium habeatur.

(19)

TAB. LXXIV.

FIG. I.

DIIS
MANIBVS
SERGIVS
LAIS

Retulit Muratorius pag. 1745. n. 3.

(20)

RESTITVIT
APOLLO
. NIVS PAL

Retulit Muratorius pag. 470. n. 10. Vid. Tab. LXXIV. Fig. I., quae Pulvinar exprimit, quamque illustravimus Tom. II. Class. XI. pag. 95.

(21)

D M ONESI MOFSA TVR BM	

Retulit Fabrettius Cap. I. n. 296. pag. 52. Si legere praestet *Onesimo Filio Saturnius bene Merenti*, haec epigraphe locum habere debuisset ad Sect. IX., sed lectionis incertitudo, quae nos tunc tenuit, fecit, ut inter Miscellanea reiiceremus. De spatiis vacuis diximus Sect. X. n. 37. pag. 137., atque alibi.

(22)

IÝCVNDA LAÉTILIA	P. SILIVS . CELADVS Q. SATRIENVS COSMVS

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 322. pag. 168. Adverte heic apices, quos illustraturus hanc inscriptionem adduxit Fabrettius, & de quibus nos egimus Sect. X. n. 30. pag. 144., & n. 43. pag. 147.

D. M

(23)

D . M
M. TVLLIVS . CRESCENS
PIVS . VIX. ANN
IV. DIB. XXV
ET . POSTERISQ. SVIS
FECIT . CRESCENS . F

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 521. pag. 209. Forte & haec ipsa ad Sect. IX. pertinebat, si ultimae lineae ultimam litteram P legendam *Pater* censeamus. Postrema illa clausula ET . POSTERISQ. exuberans est, sed tamen non raro in inscriptionibus occurrit, ut animadvertit Fabrettius, & nos adnotavimus ad calcem Epistolae nostrae *de veteri Inscriptione Vrsi Togati ludi pilae vitreae inventoris*, pag. 23. edit. Romanae 1775.

(24)

DIS . M
LORIFLANIAE
FELICLAE . FECIT
FELIX ....
BENEMERENTI

Retulit Fabrettius Cap. III. n. 563. pag. 217., ut ostendat *Feliclam* per aphaeresim frequentius forsan legi, quam integro, & non abscisso cognomine FELICVLA; quod nos etiam superius notavimus Sect. I. n. 13. pag. 102., & nuperrime etiam animadvertit Vir Cl., & Amicus noster Salvator M. de Blasio Panormitanus Casinas Gregoriani Coenobii S. Martini de Scalis Panormi Bibliothecarius, ac Cimeliarcha in sua Epistola de quibusdam antiquis monumentis pag. 8. Filiae, an uxori, an libertae, aut etiam patronae ponatur hic titulus, abrasio marmoris incertum fecit.

(25)

HEIC . SVNT . OSSA
VARIAE . GLICERIAE
FEMINAE . SANCTISSIM

In operculo Vrnae Ossuariae.

FRVGI
PIAE

In Vrna ipsa

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 62. pag. 255., ut ostendat, in immodicas laudes effusos desiderio defunctorum superstites, adeo obvium, & tralatitium esse, ut nulla non inscriptio sepulcralis hyperbolica dicenda sit. Nostra inter huiusmodi locum habet. Muratorius vero pag. 1426. n. 7. e schedis Ptolomaeis alteram solum, ac breviorem adducit, tamquam exstantem *Romae in aedibus Matthaeiorum*.

(26)

D. BATIENI . DA
SIBI . ET
OLLAR . N

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 70. pag. 609. Gens Batienia Grutero incognita,

(27)

M. PLACITI PLACITIA
EPAPHRAE METHES

Retulit Gudius pag. 328. n. 11., sed non accurate, Fabrettius Cap. IX. n. 335. pag. 639. Exstat in Urnula duplici. Gens Placitia, quam Gudius perperam in Plautinam commutavit, ignota Grutero fuit.

(28)

L. TVRRIVS . L . F HERENNIA
COL L . F
QVADRATVS RVFA

Retulit Fabrettius Cap. IX. n. 453. pag. 652. Exstat in Urna duplici. Heic habetur gens Turria, quae apud Gruterium desideratur.

(29)

DIS . MANIBVS
FECERVNT
. . . . IA . EVTYCHIA . ET
DIOMEDES . VOLVSIAE
TORQVATAE
. . . . . ET : SVIS . ET . LIBERTIS
LIBERTABVS . POSTERIQ. EOR (sic)

Retulit Maffeius post *Mus. Veron.* pag. 267. num. 6.

C. SE-

(30)

C. SEPTVMIVS . ET . L. SARDONIVS
PAVIMENTVM . DE . SVO
FECER. SIBI . ET . SOCIIS

Retulit Gudius pag. 75. n. 6.

(31)

M. AEMILIVS
CALLISTVS

Retulit Gudius pag. 313. n. 17.

(32)

T. ANNIVS
II . EROS

Retulit Gudius pag. 314. n. 7.

(33)

ANNIOLENA T . F MAXIMA	SERVILIA IRENE

Retulit Gudius pag. 314. n. 13.

(34)

SEX
ATTIVS
ZOSIMVS

Retulit Gudius pag. 315. n. 20.

(35)

SEX. BOVIVS
ANTEROS

Retulit Gudius pag. 316. n. 8. , & Muratorius pag. 1646. n. 8. e ſchedis Ptolomaeis.

(36)

SEX. BOVIVS
LICINVS

Retulit Gudius pag. 316. n. 9.

(37)

CAETENNIA
TYCHE

Retulit Gudius pag. 316. n. 17.

(38)

CN. CASSIVS . CN....
PAMPHILVS
CASSIA . CN ....
PRIMA

Retulit Gudius pag. 317. n. 7.

(39)

CN. DOMITIVS
SCARIPHVS

Retulit Gudius pag. 319. n. 9., & Muratorius pag. 1668. n. 1. e ſchedis Ptolomaeis , ubi ait exſtare *Romae in villa Mattei* , *nunc in Muſeo Kempiano* , & ad ſeipſum etiam miſiſſe Praeſidem de Mezaugues.

(40)

L. FABIVS
CELER
VIX. A. XIX

Retulit Gudius pag. 320. n. 2.

(41)

FELICI . DVLCISSIMO
Q. VIX. ANN. VIIII. M. VI

Retulit Gudius pag. 320. n. 12.

(42)

GEMINI . FL TONSO GEMELLI	D. M LAPPIAE. PRIMAE. F VIX. A . XXXXIII

Retulit Gudius pag. 320. n. 19. Secundam epigraphem , quam adduxit & Muratorius pag. 1635. n. 7., & nos ſuperius Sect. IX. pag. 135. n. 30. male a Gudio alteri adſutam cenſemus , ut ibidem etiam monuimus.

DIS

(43)

DIS . MANIBVS
FLORAE

Retulit Gudius pag. 321. n. 3.

(44)

D . M
FLAVIAE . PONIAE

Retulit Gudius pag. 321. n. 4.

(45)

SEX . IVLIVS . SARDA

Retulit Gudius pag. 323. n. 8.

(46)

C. IVNIVS
PHILOSTORGVS

Retulit Gudius pag. 323. n. 22.

(47)

L. MARCIVS . PHILEROS
MARCIA . PHOEBAS

Retulit Gudius pag. 325. n. 15.

(48)

A . OCTAVIVS

Retulit Gudius pag. 326. n. 18.

(49)

C. OPPIVS . EROS . HEIC

Retulit Gudius pag. 327. n. 2.

(50)

C. RANNIAE . L. F
FIRMINAE
QVAE . VIX . AN
IIII. MENS. VII
D . III

Retulit Gudius pag. 330. n. 2.

(51)

CN. SERVILIVS . FELIX
SERVILIA . DAPHNE
HIC . SITA . EST

Retulit Gudius pag. 331. n. 9.

(52)

V. SEXMAE
A . STABILLON

Retulit Gudius pag. 331. n. 11.

(53)

STATILIVS
EPAGATHIO
STATILIA
AMPIA

Retulit Gudius pag. 332. n. 1.

(54)

STATILIVS
HIALISSVS

Retulit Gudius pag. 332. n. 4.

(55)

P. VRGVLANIVS P. VRGVLANIVS
TANAIS YACINTHVS

Retulit Gudius pag. 336. n. 5.

(56)

. . . . . VS . C. FVLVIVS
. . . . . S . C. L. QVARTIO

Retulit Gudius pag. 338. n. 11.

(57)

DIS . MANIBVS . GAVIAE . TYCHAE

Retulit ex Apiano Gruterius pag. 912. n. 13., qui ponit *in horto D. Baptistae Iacobi Matthaei*.

D. M

(58)

D. M
CALPVRNIAE
L. F. DEVTERAE
VIX. ANNIS. IIII
MENSIBVS. IIII
DIEBVS. IIII

Retulit Fabrettius Cap. IV. n. 459. pag. 326., ubi adnotat, convenire in eumdem praecise annorum, mensium, dierumque numerum hanc inscriptionem, quae quidem sola non est; multas enim profert Fabrettius ad delectationem eorum, qui fortuita huiusmodi supervacua (ut ille ait) operositate observant.

(59)

Tab. LXXIV.

FIG. II.

DIIS. MANIBVS
CAMILLO. ARCHIA
VIX. ANNIS. XXVII
ET. M. CAMILLO. M. F
PRISCO
VIX. ANNIS. XXIII
FECIT. BENE. MERENTIBVS
CLAVDIVS. SCYLEROS

Retulit Muratorius e schedis Ptolomaeis pag. 1446. n. 8., sed incorrecte. In Urna habes caput Medusae, de quo non semel loquuti sumus.

(60)

DIS. MANIBVS
M. AEMILI. SP. FILI
CANDIDI

Retulit Muratorius pag. 1626. n. 5. e schedis Ptolomaeis. De Spurii nomine vide, quae diximus Sect. IX. n. 22. pag. 134. Exstat in Urna eleganti, in cuius medio aquila, a lateribus capita arietum, hinc inde aves rostris impetentes lacertam, & aliae alio modo colludentes.

(61)

Q. PERPETVV . . . . . .
. . . . CTAVIVS. LVI . . . .
. . . . . IMMVN . . . .
L. APVLEIVS. VER . . . .
P. TREBELLIVS. TYRAN...

Retulit Isidorus Blanchius Monachus Camaldulensis in eius epistola ad Ioh. Lamium, quae relata est in eius Ephemeridibus litterariis Florentinis ann. CIƆIƆCCLXV. fol. 22. col. 342. sub num. XXI., qui ait se offendisse fragmentum hoc in abditissimo Hortorum Matthaeiorum recessu, sed in oculos nostros avide monumenta omnia investigantes nihil tale incidit.

(62)

ΤΟΥΤΟΥ. ΤΟΥ. ΜΝΗ
ΜΕΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΚΑ
ΤΕΠΙΚΕΙΜΕΝΩΝ. ΕΟ
ΡΩΝ. ΚΗΔΕΤΑΕ. ΓΝΑΙ
ΟΚΤΑΟΥΙΟΣ. ΒΑΣΣΙΑ
ΛΟΣ. ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΣ
ΟΚΤΑΟΥΙΑΣ. ΥΓΕΙΑΣ

H. E.
Huius. Mo-
numenti. &. con-
trasuperiacentium. va-
suum. pensilium. curam. gerit. Cnaeus
Octavius. Bassia-
lus. heres
Octaviae. Hygiae

Retulit Gudius pag. 296. n. 10., nulla data interpretatione. Tertia linea lege ΕΩΡΩΝ.

(63)

ΕΝΘΑ	*H. E.*	*Heic*
ΔΕ. ΚΕΙ		*Ja-*
ΤΑΕ. ΕΥΤΥ		*cet. Euty-*
ΧΗC. ΝΗ		*ches. pu-*
ΠΙΟΝ. ΕΤΩ		*er. anno-*
Ν. Η. Κ. ΑΜ. Ι		*rum. VIII. &. dierum. X.*

Retulit Muratorius pag. 1671. n. 8. e schedis Ptolomaeis. Sed an eamdem, incertum; similem certe epigraphem exscripsimus nos otio autumnali ann. CIƆIƆCCLXXIII. in hortis Viminalibus Perettiis, nunc Nigroniis, ubi tamen lin. ult. postremae siglae ita se habent ΚΑΙΙΓ, ac tunc interpretari possent: *& dierum duorum*, quasi legeretur ΚΑΙ. Ἡμέ-

Τμέρων (five potius Ημέρων) B. Lego enim litteram C pro B, non pro Σ, ut vulgo recipitur, tamquam forma post Domitiani tempora invecta; siquidem in Tabulis Heracleensibus, fcalptis post annum V. C. CCCCXXX., apud Cl. Mazochium frequentius hanc litteram usurpatam videre licet pro littera consona V, five ו *Vau* Hebraeorum, quae quidem respondent B Graecorum. Consule Alphabetum illarum Tabularum, quod Mazochius dedit aere incisum Par. I. Diatr. III. Cap. II. pag. 124. De Σ certe intelligi haud posse, nemo non videt.

(64)

ΞΩΣΙΜΗΝ
Zosimen

Fragmentum Graecae inscriptionis litteris elegantibus heic adducimus propter formam litterae Ξ, quam pro Z accipiendam esse, docet Cyziceni marmoris Alphabetum apud Montfauconium *Palaeogr. Graec.* pag. 142., & 144., Seldenius in *Marmor. Oxon.* pag. 120., Chishulius *Antiq.* pag. 140., & *Appen. ad Marm. Oxon.* Marm. I. ver. 4. His adde Alphabetum Tabularum Heracleensium apud Mazochium loc. supracitato. Vide & Placentinium *Epitome Graec. Palaeogr.* Cap. II. pag. 15., & Cap. XIII. pag. 103., ubi hanc formam vocat antiquam, & vulgaris usus. Maffeius vero in *Arte crit. lapid.* Lib. III. Cap. I. Can. II. col. 63. ponit hanc litteram inter eas, quae eximiae vetustatis sunt, etsi non extremae illius, ac primae fidem facere non soleat. Vide eumdem etiam in opusculo *de Graecorum siglis* pag. 90., ubi usurpatam hanc litterae formam monet in Gabalensium nummo, ac tandem in *Mus. Veron.* pag. XIV. Nec dissentit Everardus Audrichius Scholarum piarum in *Institutionib. Antiquar.* Part. II. Cap. I. pag. 132., qui in Ionicis monumentis praesertim adhibitam censet, & Petrus Wesselingius *Diatribe de Judaeor. Archontib.* pag. 10., qui & in Inscriptione Berenicensi, quam adducit, & in aliis litteratis lapidibus, & nummis praesertim Cyzicenorum, & Anazarbensium eamdem occurrere adnotat ex Abr. Hortel. *Thes. Georg. Cyzicus*, & ex Sigeberto Havercampio *Differt. de Litt. Gr.* pag. 248. Ast ipse Havercampius in *Siciliae Numismatibus* Tab. CIX., cum in nummis Segegestanis habeatur ΣΕΓΕΣΤΑ ΞΙΒ, litteram illam Ξ pro T accepit, ideoque Tiberii Caesaris nomen in eis expressum esse affirmavit. Ceterum non litteram T, sed potius Z ibidem esse intelligendam subdubitavit Petrus Burmannius Secundus in *Comment. ad Numism. Sicula Dorvilliana* Tab. XI. pag. 390. Quare consulatur Vir Cl. Gabriel L. Castellius Princeps Turris Mutii in Prolegomenis ad *Sicil. veter. Inscript. Collection.* Cap. IV. §. I. pag. LXV., qui docet, ibidem haberi notas numerales: siquidem in alio numismate editoris legitur ZIB, quibus innuitur annus DCCXII., & cum in aliis duobus legatur ΞΙΙ, & ΞΙΕ, notari patet annum DCCXI., & DCCXV., scilicet aerae cuiusdam Segestanorum peculiaris. Huius litterae valor coniici etiam potest ex Graeca inscriptione, quam idem Princeps eruditissimus, nostrique amantissimus, adducit Class. I. pag. 7. n. XVII. laudatae Collectionis, & in qua legitur ΤΡΑΠΕΞΑΝ, *mensam* nempe, quam quidam dedicat Veneri. Nos etiam monumentum ex Sponio citavimus adnot. 2. ad Novellam II. anecdotam Theodosii Iun. pag. 12., aliudque monumentum non antea editum adduximus in *Sylloge inscriptionum* n. 43. pag. 480. Tom. III. *Anecdotorum*, & utrobique aliqua de hoc signo adnotavimus. Ceterum Audrichius loc. cit. admonet, aliquando laudatam litterae formam in marmoribus positam fuisse pro Σ, ut in lapide apud Placentinium Cap. IV. pag. 27. At ibidem legitur ZMYPNHC, Z pro Σ usurpato, non autem illo litterae typo, de quo nunc sermo est. Haec litterae in aliam commutatio nova non est, cum etiam apud Latinos usuvenire consueverit; hinc in lapide Pisaurensi, quem superius citavimus ad num. 3. Sect. III. pag. 105., legitur ZMINTHI pro SMINTHI; tum & in nostra inscriptione, quam habes Sect. super. n. 36. pag. 156. legitur ZMARAGDI pro SMARAGDI.

(65)

TIKTETXXBЄHЄIPЄNNЄ

Exstat haec Graeca epigraphe in Ara ornata parastatis ex ordine composito. Extricet qui potest.

(66)

TI CLAVDI SECVNDI EX PR
LVCILLAE VERI

Retulit Fabrettius Cap. VII. n. 90. pag. 514., qui in hoc figulino opere campanulam expressam innuit, ac dein haec fere ad litteram adnotat. Haec

Haec *Lucilla Veri* erit Domitia Lucilla, quae omisſo nomine gentilitio, ac cognomine Annii Veri mariti ſic dicta eſt. Potuit quoque ſub hoc *Lucillae Veri* nomine alia iunior Lucilla Marci ex Fauſtina filia, Luciique Veri Caeſaris uxor latere, quae certe adſtruitur hoc alio ſigno, quod eſt ſub Aventino, & a Fabrettio ipſo adducitur ibid. n. 192:

FAVSTI DOMITIAE C N F
LVCILLAE

Domitiam enim ſeniorem *Publii* filiam fuiſſe ex pluribus deprehendimus. Quapropter ſiglae CNF non aliter, quam *Caeſaris Noſtri Filiae*, explicandae ſunt, & dicendum huic quoque Lucillae ex avia paterna nomen Domitiae inhaeſiſſe. Quare errare monet Bellorium, qui in *Addit. ad Angelonium* in Aelio Caeſare unam Lucillam perfracte aſſerit, eamque M. Aurelii Antonini filiam, & Lucii Veri uxorem; Illa namque, quae in inſcriptione Gruterii n. 12. pag. 1009. L. Aurelii Veri coniux dicitur, Pudente, & Pollione Coſſ., ann. Ch. CLXVI., alia ſine dubio eſt ab ea, quam inſcriptiones Fabrettii Cap. VII. pag. 512., & ſeqq. ſub Paetino, & Aproniano, hoc eſt XLIII. antea annis reponunt. Hanc etiam opinionem promovent nummi, in quibus Lucilla iunior ſemper ANTONINI. AVG. F. dicitur ad aviae diſtinctionem, quae LVCILLA AVGVSTA denominatur, ea praerogativa, qua ceterorum Auguſtorum matres inſignebantur, ut adnotat Spanhemius Diſſert. VII., *licet alias numquam Auguſti coniugii conſortes*. Et inter huius Lucillae ſenioris nummos, is, qui *Fecunditatem* inſcriptam habet, ipſi ſoli convenit, quoniam, ut bene ratiocinatus fuerat Angelonius (licet & ipſe de hac priori Lucilla falſus) iunior Lucilla filios haud peperit, ac proinde *Fecunditatis* typus ipſi minime aptari poterat. Apud Albertum Caſſium in vita S. Silviae Cap. III. pag. 16. refertur figulina ita inſcripta: EX PR DPF LVCILLAE O DOL PIC N D L, atque in centro: T AEL CAES II C BRT PR ÇOS. Caſſii vero interpretationem nihil moramur; at heic innui Lucillam ſeniorem, aſſerere non dubitamus. Figulina altera non aliter ſignata, ac noſtra, inventa nuper eſt inter rudera Caſtrinovi in agro Centumcellenſi.

(67)

OP DOL CLAVDI SECVND
EX PR LVCILLAE
VERI

Retulit Fabrettius Cap. VII. n. 191. pag. 514. Recole, quae ſuperius dicta ſunt.

(68)

EX PR IVLIAE IXPVLAE EX FIGMVLI
ONIS OP DOL TRAVI FELICIS

Retulit Fabrettius Cap. VII. n. 246. pag. 517., qui Cervum currentem expreſſum admonet.

(69)

C CVLDIASV

Retulit Fabrettius Cap. VII. n. 160. pag. 511.; qui ait exſtare *in latere ſub hortis Matthaeis*, additque huius eiuſdem ſigni fragmentum ſe vidiſſe in ruderibus Circi, Cararallae vulgo dicti, ſive, ut ipſe putat, Gallieni ad viam Appiam.

(70)

Tab. LVIII. Fig. I., et II., Tab. LXV. Fig. VI., Tab. LXVI. Fig. I., Tab. LXIX. Fig. I., V., et VI., Tab. LXXI. Fig. VI., et Tab. LXXIII. Fig. I., et V.

Reliquum eſt, ut de Urnis vel ſola epigraphe D. M donatis, vel omnino carentibus primum dicamus, tum de iis, quae forte diſtractae, vel abreptae oculos noſtros effugerunt, quas tamen, cum caelatae fuerint, prodere cogimur, ſed vacuas omnino, qui nullum, etſi ingenuum, auſi ſumus titulum inſcribere, ne quid in αὐθεντίαν peccaremus. Urnae ſub Fig. I., & II. Tab. LVIII., & ſub Fig. V. Tab. LXXIII. ſolis ſiglis D. M inſtructae ſunt, ut ex hoc coniicere liceat, omnem ſui memoriam, famaeque noviſſimae curam abieciſſe eos, qui oſſa, vel cineres iis condi iuſſerant, quique ita ſimplices ſibi titulos conſtituerant, Diis tantum Manibus nuncupatis, ut philoſophicam huius

ius Ausoniani epigrammatis contemptionem forte animo versaverint:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in aeternum sum cinis ossa nihil.
Non sum, nec fueram genitus, tamen ex nihilo sum,
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

Huiusmodi famam, & nominis ad posteritatem transfusionem neglexerunt praecipue Epicurei, quod innuit forte Horatius Epist. 17. Lib. I. vers. 10. dum ait:

Nec vixit male, qui natus, moriensque fefellit.

Sed vide, quae hac de re diximus iam in Epistola nostra ad Cl. Ioh. Lamium de veteri inscriptione Aquilana, cui ipse locum fecit in eius Ephemeridibus litterariis Florentinis anni CIↃIↃCCLXVI., & praesertim num. 29. col. 452. Etiam Christiani humilitatis sensibus obsecuti in lapidibus proprium reticebant nomen, nec sane cum Lupio *Epitaph. Severae M.* pag. 174. Cathecumeni, qui carerent nomine (quo quidem ornati erant etiam ante baptismum) illi censendi sunt, quorum nomen in titulis caemeterialibus desideratur: Quod recte observavit Vir Cl. Vincentius Dominicus Fassinius, nunc in Pisano Gymnasio Professor, in Dissertatione *de veterum quorumdam Christianorum propriis, selectisque nominibus* §. XVIII. pag. 129., & seq. Postumae famae neglectum etiam ex notis compendiariis nominis, & cognominis defunctorum arguere licet, quod quidem superius innuimus Sect. XIII. n. 4. pag. 163. Fig. vero I. Tab. LXXIII. Urna habetur duplici loculo instructa, sed nullo inscripta est titulo. Etiam Maffeius in *Art. crit. lapid.* Lib. III. Cap. I. can. III. col. 74. monet, tabellam mediam ad excipiendum defuncti nomen designatam, vacuam quandoque, & albam conspici; sive quod urnulae numquam adhibitae, & a marmorario nondum venditae, sive quod in contemptores inciderint memoriae, & famae. Ceterae Urnae, nempe Fig. VI. Tab. LXV., Fig. I. Tab. LXVI., Fig. V., & VI. Tab. LXIX., & Fig. VI. Tab. LXXI., quae anepigraphae sunt, vel eamdem, ac superiores, habent rationem, vel inscriptiones praesetulerunt, quas earum inspectione orbati singulis tribuere nequaquam potuimus.

SECTIO XIV.

INSCRIPTIONES CHRISTIANAE.

(1)

EYSCHEMON . GRAECVS . QVI . FVIT . ANNOR
XXX . ET . VIXIT . CVM . CONIVGE . SVA . ANN. II. ET
MENS . VII. ET. DIES . VI. RELIQVIT . FILIVM
(sic)
MENSVM . III. BENEMERENTI . CON
IVGI . VRSA . FECIT . DEPOSIT . XVIII
KAL. IAN. ET . SISINNIVS . FRATER
CVM . AMICIS . SVIS . IN . PACE

Retulit Gudius pag. 367. n. 6. De animalium nominibus, quae sibi ipsis veteres Christiani imponebant, vide, quae adnotavimus Sect. XII. n. 15. pag. 153., ubi ex Marangonio *Ursam* alteram citavimus. *Sisinnius conductor massae Fadilianae* iuris Ecclesiae Ravennatis in Agro Siculo memoratur in Commonitorio Valentiniani III. Imp., quod ex papyro post Mabillonium, Bacchinium, Maffeium, & Terrasonium nos edidimus post *Leges Novellas V. anecdotas Impp. Theod. Iun.*, & *Valent. III.*

(2)

SPES . IN . HILARO
QVI . MIHI . BENE . FECIT

Retulit Muratorius pag. 1686. n. 4. e schedis Ptolomaeis.

(3)

DOMINO MARCELLO PARI EVTYCHES DP. KL. IVLIS. BENE
MERENTI IN PACE QVI VIXIT ANN. P. M. QVADRAGINTA
ET MENSES SEPTE . FECET MECVM ANNIS XV

Retulit Muratorius pag. 1907. n. 5. e schedis Francisci Ptolomaei, qui ita subdit: „ *Pari* est „ pro *Compari*, idest *Coniugi*. Id liquet ex sub„ sequenti formula *Fecet mecum* pro *Fecit*, seu „ iun-

„ iunctus mecum fuit . „ Tò *Domino* tributum Marcello putat quid commune habere cum *Dominaedio*, quo titulo donatur S. Felix a S. Paullino Nolano. Nomen *Domnaedii* gerentem nos inscriptionem adduximus in *Lege Romana*, seu *Responso Papiani* Tit. XLVIII. adnot. 1. pag. 289. De *Domini* titulo Viris illustribus, & sanctis tributo nos etiam egimus in laudata *Lege Romana* Tit. II. adnot. 13. pag. 140., ubi etiam saeculo III., & IV. id honoris obtinuisse monuimus. De Sanctis hoc nomine insignitis consule etiam Cl. Praesulem Iosephum Garampium, nunc apud Aulam Vindobonensem Apostolicum Nuntium longe meritissimum, in suis Ecclesiasticis monumentis circa vitam Beatae Clarae Ariminensis Cap. XII. adnotat. (cc) pag. 74.

(4)

PAPAMYΘIZHCAIENΘΩ

Paramythi vivas in Deo

Retulit Maffeius post *Muf. Veron.* pag. 318. n. 6. Sic etiam in Deo vivas, quicumque haec legis, eique sit gloria, & gratiarum actio, qui nos ad exitum feliciter perduxit.

FINIS VOLUMINIS III.

INDEX

INDEX

INSCRIPTIONUM QUAE CLASSE X. CONTINENTUR.

§. I.
VOTIVA.

§. II.
SACERDOTES.

§. III.
CONSULES.

§. IV.
MAGISTRATUS HONORES &c.

Pro-

§. V.

OFFICIA CIVILIA.

§. VI.

OFFICIA DOMUS AUGUSTAE.

§. VII.

PROFESSIONES ARTES ET COLLEGIA.

§. VIII.

MILITARIA.

Ve-

Cae-

C. Clo-

T. Fla-

Lori-

Q. Per-

P. Ser-

M. Vet-

§. XII.

Inſcriptiones Chriſtianae.

INDICIS INSCRIPTIONUM

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM

Quae tribus hisce Voluminibus continentur.

A

B

C

D

E

SS. Va-

F

G

H

I

K

L

Lu-

M

Natu-

N

O

P

Quae-

Q

R

S

T

Trie-

V

Z

F I N I S.

ABSOLVTVM . EST . VOLVMEN . III. VETERVM . MONVMENTORVM
QVAE . SVNT . IN . AEDIBVS . ET . HORTIS . CAELIMONTANIS . MATTHAEIORVM
ROMAE . IN . TYPOGRAPHIO . ZEMPELIANO . APVD . MONTEM . IORDANVM
KALENDIS . FEBRVARII . ANNI . ciɔiɔcclxxix
AC . IV . PONTIFICATVS . SSMI . D . N . PAPAE

P I I . S E X T I

QVI . MVLTIS . ANNIS . VIVAT . FLOREAT . IMPERET

Class. I Fig. I Tab. I




MITHRA

Fig. II Tab.




TABVLA HELIACA

Fig. I *Tab. II*



VENVS MARINA

Fig. II *Tab. I.*



BACCHVS *F. M. f.*



Fig. I *Tab. III*



TERRA

Fig. II *Tab. III*



HERCVLES


Fig.I

Tab.IV



HERCVLES

Fig.II



HERCVLES

Franc. Ma... Sculp.



PLVTO. ET. PROSERPINA. AB. EO. RAPTA   *Filippus Morghen sculp: R:*

Tab. VI



PLVTO. ET. PROSERPINA. AB. EO. RAPTA

Tab. VII

Fig. I



Fig. II



BACCHVS ET. ARIANNA

Filippus Morghen sculp.

Fig. I




Fig. II



BACCHVS ET. ARIANNA

Filipo Morghen sc.


Tab. IX.
DEORVM AMORES

Tab x

Fig. I

NEPTVNVS

Fig. II

POLYPHEMVS. ET. GALATEA

Fig. III

AMORES. LVDENTES

Filipo Morghen fec.

Fig.I *Tab. XI*



POLYPHEMVS. ET. GALATEA

Fig.II *Tab XI*



OCEANVS ET. AMORES. LVDENTES *J. Castini. Sc.*

Tab. XII

Fig. I



F. M. f.

Fig. II



VENERES. ET. NYMPHAE. MARINAE

Filippus Morghen sculp.

Tab. XIII



METROPOLIS . CVM . DIIS . TVTELARIBVS


Filip.^us Morghen Sculp

Fig. I

Tab. XIV



Fig. II



AMORES DEORVM VICTORES

Fran.co M


Fig. I

Tab. XV




AMOR. ET. PSYCHE

Fig. II



AMOR. ET. PSYCHE. CVM. GRATIIS



MVSAE


F. M. f.





MVSAE

F.M. f.



GENII


Franc. Mazzoni Sculp.

Fig I *Tab. XIX*



BELLVM GIGANTVM

Fig II *Tab XIX*



CASTOR

Class. III — *Fig. I* — *Tab.* XX



POMPA BACCHICA

Fig. II — *Tab.* XX



POMPA. BACCHICA

Fig I *Tab XXI*



ACCLAMATIO BACCHICA *Alexius Giardoni sculp*

Fig.II *Tab. XXI*



BACCHANTES

Tab. XXII

Fig I



...Morghen Scul.

FAVNVS. SILENVS. ET. SATYRVS


Fig. II



BACCHVS. CVM. SVO. COMITATV

Tab. XXIII.

Fig. I



QVATVOR. ANNI. TEMPORA. IN. BACCHI. POTESTATE

Fig. II.



Fig. III.



GENII

Fig. IV.



Fig. V.



AMOR. ET. PSYCHE

Fig. VI.



AMORES. DEORVM. VICTORES


Franc. Mazzoni Sculp


Class. IV
Tab. XXIV
GALATEAT
VIR. ET. VXOR. SACRIFICANTES. ISIDI
Carlo Baroni scul.

Fig. I *Tab. XXV*



Fig. II



POMPA . ISIACA

Fig. I. *Tab. XXVI*



PRAEPARATIO.TIRONIS.AD.TOGAM


Fig. II.



POMPA ISIACA

Filipo Morghen

Class. V *Fig. I* *Tab. XXVII*



OEDIPVS

Fig. II. *Tab. XXVII.*



ORPHEVS

Fig. I

Fig. II

Tab. XXVIII



PERSEVS. ET. MINERVA



PERSEVS. ET. ANDROMEDA

Fig. I




Fig. II



PELOPS HIPPODAMIAM. POST. VICTORIAM. CVRRV. ABDVCENS

Tab. XXX




MELEAGER. ET. ATALANTA

J. Cassini, Sculp.



HYLAS. A. NYMPHIS. RAPTVS



PELEI. ET. TETHYDIS. NVPTIAE



PELEI. ET. TETHYDIS. NVPTIAE

Tab XXXIV



ANTILOCHVS. PATROCLI. MORTEM. ACHILLI NVNCIANS

Fig.I — Tab. XXXI



POLYDORVS POLYMNESTORI . THRACIAE . REGI . CREDITVS

Fig. II




PROVINCIA . A . ROMANIS . VICTA

Fig. I Tab. XXXVI



PVERI . ET . PVELLAE . LVDENTES

Fig. II



IMP. ROMANVS . ALLOQVITVR . PRIAMVS . OCCIDITVR

VETVRIA ET CORIOLANVS

Fig. II

NATALE ROMVLI ET REMI

Filipp. Morghen Scul. R.

Tab XXXVIII



SACRIFICIVM . CAPITOLINVM

Tab XXXIX



MILITVM. PRAETORIANORVM. SEDITIO

Fig. I   Tab. XL.



VENATIO . COMMODI IMP.

Fig. II   Tab XI



VENATIO . PHILIPPI . IMP.



SACRIFICIVM . IOVI . ET . IVNONI




SACRIFICIVM IOVI — *Marianna Tomatis sculp.*




TABVLA . VOTIVA AESCVLAPIO . HYGIAE . FORTVNAE ET BACCHO

Fig. I   Tab. XLIII



POPAE

Fig. II   Tab. XLIII




NOVA NVPTA

Fig. I *Tab. XLIV*



MILES. AD SEPVLCRVM DELATVS

Fig. II *Tab. XLIV*



MENSA . FERALIS

M. Scyelle [illegible]

Fig. I — Tab. XLV




PRAEDA EX VENATIONE

Fig. II — Tab. XLV




VINDEMIA




VINDEMIA

Fig. I



VINDEMIA

Fig. II



LVDI. CIRCENSES

Filippo Morghen f.

Tab XLVIII



DVO. HOMINES. CAMELO. VECTI



MVSAE . ET . PALLAS . MORTVO . POETAE . FAMVLANTES

Fig. II



MVSAE . MORTVO . POETAE . FAMVLANTES


Franc. M.

Tab L



J. Cassini Scu. SARCOPHAGVS . TRISOMVS . CVM . GENIIS

Tab. LI




SARCOPHAGVS CVM. OCEANI. ET. TELLVRIS. SYMBOLIS

Fig. I Tab. III



VRNA . CINERARIA . CVM LVPA . ET . PVERIS

Fig. II



OSSVARIVM

Tab. LIII

Fig. I





Fig. I.



PORCIAE . IVSTAE
INNOCENTISSIMAE
CONIVGI
C . OCTAVIVS . FIRMVS

Fig. II.



NAERATIVS
CEREALIS.V.C
CONS . ORD
CONDITOR
BALNEARVM
CENSVIT

Fig. I.



D. M. S
IVLIAE. IVSTAE ANTIOCHVS. AVG
Ñ. LVCCONIANVS ARK. PROVINCIAE
AFRICAE CONIVGI KARIS. FECIT

Fig. II.


DĬS. MÁNIBVS
L. AEMILIO. L.L
EPAPHRODITO
REFRIA. IÚNIA. VIRO
SVO. BENEMERENTI. FECÍT

Fig. I.


DIIS. MANIB
SACRVM
L. SESTI. EVTROPI
SIBI. ET. SVIS
CVIVS MONVMENT. EST

Fig. II.


L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Fig. I.



Fig. II.



MC

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.




Fig. V.




Fig. VI.




Fig. I.


DIIS
MANIBVS
QVINTVS
MVTIVS

Fig. II.


DIIS. MANIBVS
TI. CLAVDII. QVIR
ALEXANDRI
PHILOSOPHI STOICI
BACCHILVS ET
AMEROTVS. LIB
PATRONO
BENEMERENTI

Tab. LX.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



G. Giordano inc

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.



Fig. V.








Fig. VI.







Fig. I
Tab. LXII
M.AEBVTIVS.M.L
MACEDO.PATER
M.AEBVTIVS.M.L
CALLISTRATVS.F
V.M.AEBVTIVS.M.L.EROS
V.IVLIA.L.L.BERENICE.V
IVLIA.L.L.HESVCHIVM
POMPONIA.L.L.SELENE
CLODIA.Ↄ.L.ANTIOCIS


Fig. II.
Tab. LXII.
P.FVNDANI.P.F.TER
VELINI







M Carloni inc.

Tab. LXII.



D. S. M.
AVRELIVS. MVCIANVS. MIS. SICI
VS. C. HR. VI. PRET. QVI. VIXIT. ANIS
XXXVIII. MES. VII. DIES. VIIII. ORA. VIIII
FECIT. AELIA. LVCIA. CONIVGI. VIRGINIO
SVO. BENE. MERENTI. FECIT

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.

Fig. IV.



Fig. V.



Fig. VI.



Fig. I.





Fig. II.



G.C.



Fig. I.
L. PASSIENIVS. SATVRNINVS. FECIT
PASSIENAE. GEMEL
LAE. COIVGI. ET. LIB
SVAE CARISSIMAE
OBSSEQVENTISSI
MAE. ET. L. PASSIE
NIO. DORYPHORO
FILIO. ET. PASSIENIO
SABINO. FILIO. ET. LIB
SANTISSIMIS


Fig. II.
L. MINDIO. DECEMBR
VIXIT. ANNIS. VIII
D. XXIX. MINDIA
SPES. MATER. ET. L.
MINDIVS. ONOMASTVS
FRATRI. OPTIMO. FECER

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.




Fig. VI.





Fig. I.
Fig. II.
L.CORNELIO IASON
ET L.AELIAE CHARITI
PARENTIB. SVIS
B.M. FECIT
L.CORNELIVS.CLEMENS
Fig. III.
DIS. MANIBVS
M.TERENTI
VS. STEPHANI. LIBERTVS
RESTITVTVS. ET.CROCALE.LI
BERTA. EIVS. CARVILIAE
MAMMAE. SVAE.BE
NE.MERITAE. DE. SE
Fig. IV.
D M
LIVIAE.P.F
P.LIVIVS FORTVNATVS
LIBERTAE
Fig. V.
Fig. VI.

Fig. 1.


LVCCEIA . HEBENE
SE . VIVA . FECIT
DIS . MANIBVS
M . LVCCEIO . OPTATO
CONIVGI . SVO . PIISSIMO . ET
LVCCEIAE . POSILLAE
FILIAE . SVAE . PIISSIMAE . QVAE
VIXIT . ANNOS . V . ET . MENS . III

Fig. II.


D . M . S
PLETORIAE
ANTIOCHIDI
RARISSIMAE . FEMINAE
VIX . ANN . XXVI . M . III . D . XXIV . H . X
T . FLAVIVS . CAPITO
CONIVGI . CASTISSIMAE
PIISSIMAE . ET . DE . SE
OPTIME . MERITAE
DE . QVA . NVLLVM . DOLOREM
NISI . ACERBISSIMAE . MORTIS . EIVS
ACCEPERAT . DIGNISSIMAE . FECIT

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.




Fig. V.



Fig. VI.




Fig. I.


DIS. MANIB.
C. IVLI. SVCCESSI

Fig. II


DIS. MANIBVS
P VITELLI. SVCCESSI
VITELLIA. CLEOPATRA
VXOR BENE MERENTI
FECIT

Fig. I.




Fig II




Fig III




Fig. IV.



Fig. VI





Fig. V.



Tab. LXXIV.

Fig. I.



Tab. LXXIV.

Fig. II.

